JOHANNES KEPLER
GESAMMELTE WERKE

IM AUFTRAG DER
DEUTSCHEN FORSCHUNGSGEMEINSCHAFT
UND DER
BAYERISCHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN
BEGRÜNDET VON
WALTHER VON DYCK† UND MAX CASPAR†
FORTGESETZT VON
FRANZ HAMMER†
HERAUSGEGEBEN VON
DER KEPLER-KOMMISSION
DER BAYERISCHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN

C.H.BECK'SCHE VERLAGSBUCHHANDLUNG
MÜNCHEN

JOHANNES KEPLER
GESAMMELTE WERKE

BAND XI, 1

EPHEMERIDES NOVAE MOTUUM COELESTIUM

BEARBEITET VON
VOLKER BIALAS

C. H. BECK'SCHE VERLAGSBUCHHANDLUNG
MÜNCHEN

CIP-Kurztitelaufnahme der Deutschen Bibliothek

Kepler, Johannes:
Gesammelte Werke / Johannes Kepler. Im Auftr. d.
Dt. Forschungsgemeinschaft u. d. Bayer. Akad. d. Wiss.
Begr. von Walther von Dyck u. Max Caspar. Fortges. von
Franz Hammer. Hrsg. von d. Kepler-Komm. d.
Bayer. Akad. d. Wiss. – München: Beck
NE: Kepler, Johannes: [Sammlung]
Bd. 11.
1. Ephemerides novae motuum coelestium / bearb. von
Volker Bialas. – 1983.
ISBN 3 406 01659 6 brosch.
ISBN 3 406 01658 8 Hperg.
NE: Bialas, Volker [Bearb.]

ISBN 3 406 01658 8 (Halbpergament)
ISBN 3 406 01659 6 (broschiert)

© Bayerische Akademie der Wissenschaften, München 1983
Druck der C. H. Beck'schen Buchdruckerei Nördlingen
Printed in Germany

EPHEMERIDES NOVAE MOTUUM COELESTIUM

EPHEMERIDES NOVÆ

Motuum Cœleſtium, ab anno vulgaris æræ M DC XVII.

Ex Obſervationibus potiſſimum TYCHONIS BRAHEI, Hypotheſibus Phyſicis, & Tabulis RVDOLPHINIS;

Ad Meridianum Vranopyrgicum in freto Cimbrico, quem proximè circumſtant Pragenſis, Lincenſis, Venetus, Romanus.

Præmittitur I. Explicatio fundamentorum Ephemeridis, præſertim *ubi in Motibus Lunæ à libro Progymnaſmatum Braheireceſſum. Vbi reſpondetur ad crebras interpellationes* Davidis Fabricij *Aſtr: Friſij, ejusq; Opiniones circa Vmbram Terræ & alias jucundas materias examinantur.* II. Inſtructio ſuper Nova Ephemeridis forma, & cauſæ mutatæ formæ *conſuetæ, ex ſanioribus Aſtrologiæ fundamentis.*

Adjecta ſunt prima Ephemeridi anni 1617. Obſervationes Meteorologica ad dieſingulos, & Aſtronomica nonnulla.

Cum S. Cæſ. Maj. Privilegio ad annos XXX.



Authore Ioanne Kepplero, Imp: Cæſ: MATTHIÆ, Ordd: q; Auſtriæ ſupra Aniſam Mathematico.

Lincij Auſtriæ, ſumptibus Authoris
Excudebat IOHANNES PLANCVS.

a2 AD D. MATTHIAM ROMANORVM IMPERATOREM

S. AVGVSTVM P. F. P. P.

GERMANIAE, HVNGARIAE, BOHEMIAE ETC. REGEM,
ARCHIDVCEM AVSTRIAE ETC.

DOMINVM MEVM

AVGVSTISSIME IMPERATOR

Octavus annus agitur, ex quo Commentaria mea de motibus Stellae Martis Imperatori RVDOLPHO II. S.ae C.ae M.tis V.ae Antecessori Fratri l. m. publicis typis descripta exhibui, aususque sum, animo praeconcipere successum
† 10 in reliquis etiam Planetis, si me sereno vultu respiceret Diva Nummonia. Nec
a2v abnuit Imperator magnificen|tissimus, coelestis scientiae, famaeque perennis aestimator sapientissimus, quin aerarij Praefectis in mandatis daret: Non
† tantum Residua meorum stipendiorum, quae ad duo millia Monetae argenteae majoris excreverant, mihi confestim exsolverent, sed etiam alia duo millia adderent, quae mihi, lucrosas artes obsequio M.tis S.ae postponenti, solatio inque recreanda familia, diuturnis damnis afflicta, adjumento essent. Id quo minus fieret, sequentium annorum infoelicitate, cùm non sufficerent aerarij praefecti tot curis, et denique vitae Imperatoris fine nimium properè appropinquante, effectum est.

20 At non ego proptereà proposito destiti, nec animum despondens ad alia
a3 vulgò acceptiora, copijsque rerum ad vitae splendorem et luxum | abundantiora transij, quin potius, quantum et publica inquietudo et domestici luctus sunt passi, in magna rerum angustia sedulo perrexi: donec M.as V.a divum hominumque secundis voluntatibus succedens, me perculsum jactura tanti Patroni
† recrearet, per Illustrem et Generosum D. D. HELFFRICVM À MECKAW, secretiorum Consiliorum participem et supremum Camerarium, in proposito meo, inque serivtijs suis persistere juberet, subsidijs istis, quae M.tis V.ae fidelium Ill. Austriae superioris Procerum liberalitas mihi roganti superstite RVDOLPHO tribuisset, probatis, salarium de suo aerario adjiceret, locum
30 habitationi meae idoneum Lincij decerneret, omnia, quae ab Augustissimo Antecessore promissa erant, confirmaret, utque mihi primo quoque tempore exsolverentur, iteratis mandatis urgeret. |

a3v Quorum ego Mandatorum effectum exoptatissimum dum expecto, spe optima suffultus, tantum mihi virium ingenij, tantum in labore patientiae accessit, ut quamvis mutatione loci difficili, solitudine domus, itineribus, denique morbo diuturno non parum temporis perderetur; tandem tamen eo usque ex profundissimo speculationum et computationum pelago fuerim eluctatus: ut restitutis

motibus omnium Planetarum, animum ad scribendas Ephemeridas annorum 30 praeteritorum, quibus Observationes Astronomicae BRAHEI et Meteorologicae meae continuae possent examinari, et 50 circiter sequentium adjicere, primamque istam in annum sequentem seculi septemdecimum computare, et sic specimen surgentium Tabularum Rudolphi doctis exhibere potuerim. |

Cùm igitur Tabulae ipsae, nomen ab Imp: RVDOLPHO sortitae, illius potis- *a4*
simùm honori à primo earum authore, celebratissimo Artifice TYCHONE BRAHE, merito destinatae sint, Ephemeridum verò opus animo conceptum ipse M.tis V.ae Nomini Augustissimo dudum consecraverim tacitus, convenire existimavi, ut cum operis initio dedicationem etiam publicam exordirer. Quare M.tl V.ae primam hanc Ephemeridem ex Tabulis Rudolphi passim expetitis venerabundus offero, utque eam sereno vultu aspiciat, atque ex hoc principio totius operis Ephemeridum, Tabularumque ipsarum spem haud irritam concipiat, et Imperatoriâ Magnificentiâ promoveat, supplex oro. Certò enim promittere ausim, si vel ea solùm, quae duo Imperatores Augustissimi jamdudum | mihi ad haec studia perficienda destinarunt, aerariorum praefecti, ad quos *a4v*
devolutae sunt istae largitiones, sine mora exponerent, non defuturos mihi adjutores, unum ad calculandas observationes Braheanas, alterum ad computandas † reliquas Ephemeridas eodem exemplo, quod ipse in praesenti Ephemeride praeivi, tertium ad descriptiones necessarias, ad correctionem typorum et delineationes: quorum operis ipse sublevatus, ad absolvendas et emendandas tabulas, ad adornationem demonstrationum, ad conceptionem et dilucidationem textus, erudiendis publicè lectoribus necessarij, ad lectionem denique librorum anteà in hac materia scriptorum, totum animum applicare, et pulcherrima ista duo opera, totius orbis docto|rum hominum votis expetita, Tabulas *a5*
praecipuè, quorundam importunis et penè contumeliosis expostulationibus efflagitatas, intra triennium vel quod minus est, Deo vitam et vires largiente, in solidum absolvere, et accedente Braheanorum Haeredum consensu, publicis etiam typis exhibere possim.

Deum Opt: Max: devotus precor, ut M.tl V.ae Vitam et Valetudinem optimam in longissimos annos proroget, tranquillam et foelicem gubernationem Imperij Romani, Regnorumque et Provinciarum haereditariarum largiatur, ut et studia haec calamitatum secura succrescere, et fructus eorum promissi tandem in Augustum M.tis V.ae conspectum à me adduci possint; imprimis S.ae C.ae M.tl V.ae ejusque tàm Majestatis et Honorum, quàm vitae Sociae Augustae, | totique Domui Austriacae, omnibusque ejus Amicis et Clientibus foelicis- *a5v*
simum ineuntem annum largiatur.

Hisce S.ae C.ae M.tl me humilimè commendo. Ex Ejus urbe Lincio, Metropoli Archiducatus Austriae supr-Anisinae. Cal. Novembris Anni MDCXVI.

S.ae C.ae M.tl V.ae

Obsequentissimus Mathematicus
Johannes Kepplerus

a6 Lectori S.

Cum haec Ephemeris absolveretur, jam tertius ab exacto ejus anno mensis agebatur, currente anno ejus Ephemeridis, quae hanc sequitur, jam per semestre venalis. Admonendus igitur fuit Emptor, decretum mihi, primo quoque tempore perficere et tertiam in annum 1619. eâdemque uti ratione per subsequentes annos, quoad Deo visum fuerit: itaque de ijs, quas in usus cujusque anni coëmet, ligandis vel asservandis commodo quisque suo statuat.

Quo minus autem jam statim aliquot annorum futurorum Ephemerides simul edam, causas habes in Proleg: à fol. 13. in 16. itaque te velim credere, moram hanc meam in scribendis Ephemeridibus commodo ipsarum interponi.

Interim tu Lector Philosophe, velut à Comoedo Interactum accipe, quo temporis taedium lenias, quia etiam Minervae suus est genius. Nimirum veris planetarum motibus nunc demum inventis, abripit me occupatque divinissimae contemplationis Harmoniarum coelestium voluptas ineffabilis. Itaque si libros ARISTOTELIS de Coelo, si PLATONIS Timaeum, si Harmonica PTOLEMAEI et PORPHYRII, manca omnia, et ipsorum authorum confessione ad imum gradum consistentia, hactenus in precio habuerunt Academiae et Bibliothecae, existent etiam nunc, qui Philosophiae de hac parte, nobilissimis inventionibus excultâ, gratulentur.

Tu igitur, Lector, vale, et hinnitibus Scythicis, quibus nobilissimae Provinciae perstrepunt, spretis, Harmonias intelligere et concupiscere disce, teque mihi lectorem para.

I. K.

DE PRINCIPIIS, EX QVIBVS MOTVS SOLIS ET LVNAE IN HAC EPHEMERIDE SVNT COMPVTATI

Cum extent motus Solis et Lunae ex publicatis TYCHONIS BRAHE tabulis computati in Ephemeridibus ORIGANI, ne quis igitur vel illum vel me, sicubi nos dissentientes invenerit, erroris in calculo temerè coargueret, enarrandum mihi fuit in limine, quibus ipse principijs inniterer, ratioque reddenda mutationum susceptarum per singulas partes motuum, quantum instituta brevitas fuit passa. Nam ob id ipsum tantò confidentiùs calculum meum prodidi, quod ORIGANVS calculum TYCHONIS jam in luce statuisset, possentque inter se conferri, neque in me reperiret occasionem calumnia, quasi quicquam eorum, quae celebratissimus Vir prodiderit, opprimere vellem.

Cum autem editio hujus opusculi anno 1616. impedita fuisset, ne igitur miretur Lector, si passim additiunculas scriptura minima, praemisso signo q, textui interspersero.

1. *Locum Solis medium* ad tempora TYCHONIS sic retinui, sicut est à TYCHONE BRAHE constitutus.

2. *Praecessionem aequinoctiorum* inde ab HIPPARCHO ad TYCHONEM usque proximè aequalem constitui, sepositâ in solidum illa exorbitatione, quae ex Ptolemaicis observationibus evincitur. Causae inveniuntur in Com: Martis parte quinta.

3. 4. *Progressum Apogaei Solis*, et per hunc *motum Solis medium* sic aptavi, ut Sol ijs momentis, ijsque locis sub Ecliptica fuerit in Apogaeo, quae sunt ab HIPPARCHO et TYCHONE BRAHE, ab uno quoque sua aetate prodita.

5. *Eccentricitate Solis* usus sum dimidiâ ferè ejus, quam BRAHEVS et ALBATEGNIVS produnt, sc. 1800. de 100000. propter demonstrationes evidentissimas ex observationibus Martis, Veneris et Mercurij, causasque motuum physicas, expositas in Commentarijs Martis, parte praesertim tertiâ; et propter observationem diametri Solis, de qua in Optica Astronomiae parte capite XI. denique propter oportunitatem numeri rotundi. Hinc maxima aequatio prodit mihi pauculis secundis major Tychonicâ.

6. *Aequationes Solis* computavi ex principijs physicis. Itaque in quatuor quadrantum medietatibus provenit mihi hoc nomine Solis aequatio uno minuto auctior vel diminutior, quàm si usus essem formâ usitatâ cum TYCHONE. Qua de re vide caput XXXI. Comm. de Marte fol. 164, sed memineris me ibi, dum corrigo numeros, quos antea prodideram in appendice ad Progymnasmata TYCHONIS BRAHE, potius illos infelici curâ pervertisse, ut rectè me per epistolam monuit JO. ANT. MAGINVS.

q Extant Epistolae nostrae mutuae in Supplemento Ephemeridum MAGINI, quod hoc demum an^no 1617. mihi videre contigit.

Operare secundùm praescriptum ejus loci, et deprehendes ipse quod dico. Usus est hac differentiolâ CHRISTIANVS SEVERINI, TYCHONIS computator, in examine Eclipsium fundamentalium, quae sunt in Tomo I. Progymnasmatum pag: P.

7. *Parallaxin Solis* horizontalem constitui minorem besse Tychonicâ, quia TYCHO ipse suam non demonstravit, sed tantam ferè, quanta ex Ptolemaicis demonstrationibus sequitur, assumpsit, nec nisi parum admodum eam inflexit, ut numerum 576. nobilem, Pythagoricâ philosophiâ delinitus, obtineret in Solis et Terrae intervallum. Me verò coëgit partim contemplatio parallaxium Martis, ut videre est in Commentarijs Martis, partim methodus, eclipsibus Solaribus et Lunaribus innixa, ut minuerem Solis parallaxes. Nec demonstrationum Ptolemaicarum tanta vis est, ut religiosius tractanda fuerit quantitas hujus parallaxeos Solis ab illo prodita, cùm ille unà involvat inconcessa de Solis diametro, assumat etiam, seu potius aptet aestimationem digitorum eclipticorum in Luna, rem, quod haec minuta attinet, valde lubricam. Itaque Sol mihi ad 1800. semidiametrorum Terrae altitudinem ascendit, TYCHONI minus quàm 1200. Placuit autem mihi rotundus numerus 1800. ut esset trigecuplus circiter distantiae Lunae à Terra, quae est quasi 60. semidiametrorum Terrae, atque sic eadem esset proportio intervallorum Solis et Terrae, Lunaeque et Terrae, quae est revolutionum Telluris et Lunae circa idem veluti centrum † Telluris.

8. *Diametrum Solis apparentem* constitui non cum PTOLEMAEO praeposterâ methodo ex posterioribus in notitia minusque fidis, sed cum BRAHEO ex ipsius Solis observatione propria; de qua vide Opticam Astronomiae partem, † Cap: XI. Igitur in apogaeo planè eandem prodo, quam TYCHO; in perigaeo coëgit ipsum hypotheseos suae forma, ut majorem quàm Ego uno scrupulo proderet.

9. Etsi verò mutatâ parallaxi Solis *obliquitas eclipticae* à BRAHEO constituta, indeque dependens demonstratio eccentricitatis aequationumque Solis limâ indigeret: nihil tamen in hac eclipticae obliquitate mutavi, quod, quae in ea mutari deberent, minimi effectus essent.

10. Jam quod *Lunam* ipsam propius attinet, *longitudinem ejus à Sole* ad tempora media, qualia ferè sunt in principijs Cancri et Capricorni (ex BRAHEI certè sententiâ simpliciter, ex aliorum verò loco inter punctum tropicum et vicinum apogaeum Solis intermedio) retinui eandem, quam TYCHO tradidit ad sua tempora; sed sic aptavi motum longitudinis, ut quantulum in Solis medio motu varietatis incideret propter praemissas causas, tantulum etiam contingeret in medio Lunae motu ab aequinoctio: quod tamen hac aetate contemptissimum quid accumulat.

11. *Anomaliam Lunae* (ejusque loco motum apogaei sub ecliptica) relinquo simpliciter illam, quam TYCHO BRAHE tradit: nihil enim hactenus tentavi in hujus [1]anomaliae demonstrationem à Braheano computatore M. CHRISTIANO SEVERINI, Professore nunc Haffniensi, ultimò recognitam.

12. *Lunae in copulis aequationem maximam* constitui gr. 5. 0. cùm TYCHO sesquiscrupulo habeat minorem. Nam quam opportunitatem ille quaesivit in numero rotundo 8700. tangente anguli gr. 4. 58. 22. eandem ego habui in rotundo numero graduum aequationis maximae simplicis 5. 0. acceptae à veteribus. Et quid tribuendum hîc esset veteribus, exemplo docuit BRAHEVS: cùm enim illi longitudinem et latitudinem Lunae statuissent aequales, utramque 5 graduum, TYCHO BRAHE id adeò mordicus retinuit, ut uno illorum mutato in gr. 4. 58. 22. etiam alterum in eandem quantitatem transferret.

Sic autem habet res cum hac mutatione: Ex PTOLEMAEI demonstratis Eccentricitas Lunae (ipse semidiametrum appellat epicycli) sequitur scr. 5. 13. de scr. 60. hoc est 8700. de semidiametro 100000. quae subtendunt in anomalia 90. gr. 4. 59. 27. in anomalia verò 96. fit PTOLEMAEO aequatio gr. 5. 1. ut in tabulis PTOLEMAEI videre est. Retinuerunt istam quantitatem ALBATEGNIVS, ALFRAGANVS et alij usque ad Alphonsinos: qui constituerunt eam minorem paulò, ut esset aequatio in anomalia 90. gr. 4. 54. 54. in anomaliâ 96. gr. 4. 56. Et COPERNICVS sua inventa pronunciat Alphonsinis consentanea: Itaque Prutenicae ponunt has aequationes tantùm 18. secundis majores. TYCHO BRAHE resumpsit quantitatem semidiametri epicycli Ptolemaicam 8700. rotundo numero; sed cum COPERNICO accuratus, usus est eâ non ut sinu aequationis maximae, quod fit in suppositione eccentrici, sed ut tangente, quod proprium est suppositioni epicycli; qua ratione prodijt illi aequatio minor uno scrupulo et sic media quodammodo inter Ptolemaicam et Alphonsinam, qua de causa haec quantitas illi tantò magis arrisit. Cùm igitur in his minutijs exemplo veterum stabiliatur arbitrium artificis, usus eo sum etiam ipse. Nam propter formam suppositionis physicam mihi fit aequatio maxima paulò superius et propius anomaliae mediae 90. excrescitque non uno, sed dimidio saltem scrupulo supra illam, quae obvenit anomaliae 90. ut igitur mediam viam incederem, in anomalia 90. feci dimidio scrupulo majorem Ptolemaicâ, maximam uno scrupulo minorem. †

13. *Eccentricitate* (quae est loco semidiametri epicycli) usus sum 4362. sinu dimidiae aequationis meae maximae gr. 2. 30. quod est dimidium aequationis usitatae, propter causas motuum physicas, quae aequantem circulum veteribus (sed in planetis tantùm reliquis) suppeditaverunt: Vide Comm. Martis; sanè etiam Braheanus computator anno 1600. meo exemplo aequantem in Lunam introduxit, sed secundum COPERNICI praecepta transmutatum in duplex epicyclum, semidiametris 5800. 2900. quae sunt bes et triens de 8700. veterum, quorum circulorum evolutionibus describitur in effectu orbita ☽ (si quidem quiescerent puncta caetera) eccentrica, sed eccentricitate 2900. quae adhuc minor est meâ, triens quippe semisse. Nam forma motuum physica | non relinquit | in libertate computatoris (qua Braheanus ille est usus) proportionem segmentorum, sed imperat solam bisectionem, ut patet ex Commentarijs Martis. †

14. Sequitur ergo ex dictis, ut ex ijsdem principijs etiam *aequationes reliquae* computatae sint.

Atque hic notabilis aliqua differentia calculorum oritur. Nam in anomalia media gr. 45. nascitur mihi aequatio gr. 3. 24. tribus scrup. minor Tychonicâ, in anomaliâ gr. 135. est aequatio gr. 3. 40. 30. quinque ferè scrupulis major Tychonicâ. Quid facerem? Cum suppositiones physicae clarissimis niterentur demonstrationibus, cùm officio suo in reliquis astronomiae partibus fungerentur rectissimè, eaque super re testimonium haberent ab observationibus: cur in constructione tabulae aequationum Lunae ab illis deficerem? cur cum earum damno Tychonicas aequationes mihi exprimendas sumerem ad amussim, quae ipsae quoque natae sunt illi ex necessitate hypothesium duplicis epicycli, conformatarum ad rotundos numeros computatoris arbitrio? Nam quis adeò est incogitans, qui existimet singulas aequationes per omnem anomaliae circulum immediatè examinari posse per observationes intra paucos annos, et ab ijs testi-

monium super singularum illarum quantitate peti posse usque ad unius, duorum triumve scrupulorum subtilitatem? Quam diu putas observandum esse, quoad in Luna omnes inaequalitates omnibus permutentur? Et dicetur posteà de observationum consensu vel dissensu.

15. Sequitur *secunda Lunae inaequalitas, ejusque aequatio*, quam (ut TYCHO) feci dimidiam prioris. Itaque mihi est gr. 2. 30. illi besse scrupuli minor. Itaque maxima quadraturarum est mihi gr. 7. 30. illi gr. 7. 28. PTOLEMAEO gr. 7. 40. COPERNICO gr. 7. 41. Mihi à partibus TYCHONIS stare cum per physicas
† hypotheses licuerit, consultum etiam visum.

16. Quod verò attinet hujus *secundae aequationis causam*, TYCHO illam salvat mutatione nudâ intervalli ☽ à Terrâ sine aequante, mihi causae physicae etiam hic aequantem (seu formam hypotheseos aequipollentem aequanti veterum) suaserunt. Itaque composita diversitas intervalli ☽ et Terrae maximi et mediocris (apud me eccentricitas) est TYCHONI 7248, mihi 6543. de 100000. mensura semidiametri.

17. *Aequationes menstruae reliquae* me multos annos habuerunt sollicitum, ne fortè leges hypotheseos physicae respuerent: erant enim mihi de feris moribus suspectae, cùm viderem apud TYCHONEM centrum theoriae Lunae ad epicycli per Terram ducti latera exire, quod PTOLEMAEVS quoque per suas illas nutationes epicycli comprobabat. At frustra metui: praecipuam hinc gloriam reportant hypotheses physicae, quod clarissimam huic perplexae inaequalitati secundae lucem inferunt, et simplicitate suâ omnem hujus circelli diversitatem exprimunt: nam de minimis, ut dicitur apud jurisconsultos, non curat
† praetor. Est enim aequatio eccentricitatis apud TYCHONEM gr. 1. 43. 35.
ſ cum est anom. coaeq. 45 gr. et simplex distantia ☽ à ☉ | 45. et in aequipollentibus alijs sitibus; mihi ex causis physicis in his sitibus est vel gr. 1. 42. 48. vel 1. 47. 30. major hìc Tychonicâ, quàm ibi minor eâdem, quia numero 16. in tota menstrua 2. scrupulis exsupero: possent itaque penes me salvis causis physicis omnes minui, ut hinc inde non plus 2 cum dim. scrupulis differrent à Tychonicis.

18. At verò in *locandis intervallis* planè contrarium ejus, quod COPERNICVS et BRAHEVS sequuntur, suppeditat mihi forma hypotheseos physica. TYCHO in quadraturis varietatem intervalli praestat maximam 7248. in copulis minimam. Ego contra eccentricitatem exhibeo in copulis maximam 6543. in quadraturis minimam 4362. Causa permutationis est, quia TYCHONI haec mutatio est semimenstrua, mihi semestralis. Confirmat autem hanc magnam in copulis eccentricitatem vel maximè theoria eclipsium Lunae, et variatio semidiametri umbrae, parallaxiumque Lunae in deliquijs Solis, de quibus infra.
† Sed de hac re plura scribam alio loco et tempore, jamque dudum ista cum studiosis astronomiae communicassem, nisi incidisset mea Epitome Astronomiae Copernicanae in curatorem ipsis meis speculationibus perplexiorem, qui sumptus typographicos jam ultra annum moratur, ut nondum ad quartam paginam simus progressi, deficientibus operis necessarijs.

q Jam hoc anno 1617. autumnalibus prodijt quidem Epitomes prima pars Sphaerica, at Theorica adhuc exspectat sumptus à curatore.

19. *Tertia Lunae inaequalitas, Variatio*, inventum TYCHONIS BRAHE, definitur ab illo quantitate scr. 40. 30. in distantia ☽ à ☉ gr. 45. vel 135. Hic ego fatebor quod res est. In hujus Ephemeridis computatione meo ipsius judicio fui audax [non quidem in hoc, quod paulò aliter illam Variationem incipio quàm TYCHO, ille à veris copulis, ego à punctis eccentrici Lunae, Aphelio et Perihelio, quae copulas nunc antecedunt, nunc sequuntur, cùmplurimùm spacio 2 cum dim: grad.].

q Haec hic inclusa signis [ ] attinent solam Ephemeridem anni 1617. Vide Praefationem ad Lectorem super Eph. 1618.

Sed nec in hoc, quod non in gradu 45. à Sole vel ejus opposito antè et retrò praesto maximam aequationem, sed in gr. 49. et 127 cum dim. à perihelio eccentrici; nam horum utrumque postulavit hypotheseon physicarum extrema necessitas. Sed cum possem salvis legibus physicis in gradu 45. à Sole exprimere quantitatem sc. pr. 40. 30. à TYCHONE dictam, malui alicubi totis 9. minutis ab illa deficere, quàm fructu carere jucundissimae speculationis, quâ variationem derivo ex residuo motu Lunae, quem illa duodecim plenis reversionibus, seu mensibus Lunaribus ad usque finem anni Solaris adjicit. Modum nemo facile per seipsum assequetur sine duce, etsi jam indicatus est. Itaque moram brevem patienter ferant Astronomi, donec vel Epitome vel Hipparchus meus † prodierint in lucem. TYCHO sanè nihil dubitavit, causam variationis esse physicam, eoque non censuit, aliter illam quàm per librationem in diametro circelli repraesentandam. Verba super hac re, manu SEVERINI perscripta, haec sunt: *Inhibitio haec physica potius censenda est, ut forsan rectè* | *M. KEPLERVS* 6 *putat*. Adeoque ne ipse quidem TYCHO, vel hunc vel illum alterum circellum † per Terram ductum liberavit omni inaequalitate revolutionum physicâ, non enim sunt istae omnes ejusdem longitudinis, sed differunt inter se ut menses ipsi veri.

Variatio in semicirculo novilunij inferiore prodit mihi maxima scr. 32. 46. in plenilunij superiore scr. 33. 52. Itaque in distantia à ☉ vel ejus opposito 35. minus habeo quàm ille per scr. 8. 52. inde appropinquo usque in 78. tunc enim adhuc absum per scr. 1. 55. iterum discedo longius, ut circa confinia quadraturae jam subtrahendam habeam, cùm ille adhuc addendam: itaque cùm additio tardius illi desinat, fit in grad. 95. ut jam mea quantitas Tychonicam superet per scr. 4. 52. in gr. 114. coincidamus: at in gr. 147. per scr. 9. 2. deficiam ab ejus quantitate. Quod tantò minus refugi, quod viderem, ipsum quoque BRAHEVM inter scr. 34. et 46. quantum collegit ex observationibus nunc his, nunc illis, constituisse medium scr. 40. 30.

Praesupponitur autem in mea tabula proportio orbium Solis et Lunae ea quae est 23. ad 1. non quod alias etiam hanc sequar (vide supra Nu. 7. et infra Nu. 28.), sed quia sic statuitur differentia punctorum, in quibus ☽ praecise bisecta apparet, et gradus 90. à copulis, duorum semis graduum: qua ratione tabula aequationum ☽ mihi etiam hic utilis est facta. Etsi igitur sic dimidio forte gradu peccamus in elongatione phasium ab aspectu quadrato, id tamen in variationis negotio minimi est effectus, tolerandumque interim est, dum adhuc omnia sublimâ sunt, passimque minimum aliquid mutatur. †

q Haec in correctione (de qua Ephemeris anni 1618) sic habent. In distantiam ☽ à ☉ vel ejus opposito 37. 143. minus habeo quàm ille per sc. 8. 21. inde

paulatim appropinquo usque in dist: ☽ à ☉ 70. 110. tunc coincido, exque eo habeo plus, et ubi plurimum excedo, circa dist: 80. 81. 100. 99. habeo per sc. 1. 37. plus; in 90. vero iterum coincido. Nec jam opus est ad variationem, ut praesupponatur certa orbium Solis et Lunae proportio. Est autem variatio maxima jam in dist: ☽ à ☉ 50. et 130. utrinque sc. 33. 20.

20. Transeo ad *motus Latitudinis:* et hic retinui latitudinem in copulis maximam, aequalem aequationi in gr. 90. quod idem et PTOLEMAEVS et TYCHO fecerunt. Etsi enim tractatione parallaxium elicio gr. 5. 1. non tamen nimium huic tam subtili negotio fidendum existimavi. Itaque mihi latitudo maxima est gr. 5. 0. TYCHONI 4. 58. 30.

21. *Latitudinem in quadris maximam* eam retinui, quam TYCHO invenit, ille quidem gr. 5. 17. 30. ego plena sc. 18. sumpsi, ut compensarem aliquid de incremento menstruo, quod ipse 19. statuit, ne id mihi relinqueretur sc. 17. 30. sed fieret sc. 18.

22. *Latitudines intermediae* computantur à me ex causis physicis, minimo aliquo differentes à Tychonicis, semper cum Tychonicis ejusdem affectionis.

23. *In angulo inter eclipticam et orbitam Lunae* rursum in contraria discedimus TYCHO et ego. Nam ille facit Lunam ex copulis eclipticis angulo parvo excurrere versus quadras, qui interim, dum excurrit Luna, paulatim fit major, ut sistat sidus denique in limite latitudinis gr. 5. 18. at cum nodi sunt in quadris, Lunam ille ex quadris versus copulas angulo magno gr. 5. 18. emittit, eumque interim angulum minuit, ut Luna limitem in copulis assequatur non plus declinantem, quàm gr. 4. 58 sem. Ego contra, in eclipsibus Solis et Lunae statuo angulum gr. 5. 18. constantem toto mense ferè, ut Luna eodem tramite excurrat in quadras ad hanc usque latitudinem; et cum nodus in quadra est, rursum mihi Luna directâ nec in|flexâ viâ excurrit in copulas angulo parvo gr. 5. 0. et huic aequalem latitudinem acquirit in copulis. Id enim non tantum hypothesis physicae forma postulat, sed multò ante detexit consideratio eclipsium Solis et Lunae, indiciumque ita fecit ad physicam hypothesin arcessendam etiam in latitudines.

24. Quod *loca Nodorum* attinet, illa ego 25. scr. promotiora posui, quàm in copulis fert calculus TYCHONIS. Hic enim mihi inter potissimos labores astronomicos indè à morte summi viri fuit, ut eclipses Solis et Lunae rectius salvarem, eò quod passim ab astronomis ad me provocari viderem. Quae igitur ad rem facere deprehendi, ea mutare, et sic mutata cum astronomis communicare nullâ superstitione vetor, cùm sciam, facturum id ipsum TYCHONEM fuisse, si fuisset ad harum usque rerum patefactionem superstes.

25. *Nodorum retrocessum* in Ephemeride quidem aequabilem retinui cum veteribus, contra quàm ORIGANVS in Tychonicis. Nam etsi binorum planorum circulorum, concentrici libratilis et eccentrici, permixtae inclinationes, altera per anni curriculum variabilis, altera constans, in imaginatione theoriarum solidarum omninò repraesentant nodos, si non ut Copernicana aequinoctia trepidantes, at saltem inaequabiliter incedentes, attamen orbes solidi nulli sunt: nec ponuntur haec signa ♌ ♍ in Ephemeridibus, quia sunt indices sectionum per mensem totum, sed quia habentur pro signis benefico et malefico aequiparanturque planetis, ut patet ex pandectis Astrologorum; ridiculo sanè som-

nio: nam primùm Astronomi Arabes erant, qui ex forma segmenti sphaerae, inter binos circulos Lunae et Solis intercepti, et ad distinctionem sectionis à sectione nomina fecerunt, alteri caput vermis seu serpentis, ☊, alteri cauda vermis, ☋, eo quod vermis vel serpentis species a mucrone incipiat, in ventre latissima sit, iterumque in mucronem ut haec segmenta desinat, quod Latini transtulerunt Caput et Cauda Draconis; Astrologi verò, neglecto sapientum instituto, ad solum vocum technicarum horrorem auscultantes, monstra illis conformia inter sidera consecrarunt; planè simile quid passi melancholicis, aut pueris et muliercularum vulgo, quibus plurimum negotij facessunt spectra et lemures, qui plerumque nec sunt, nec fuerunt unquam, sed si rem ab ovo pervestiges, vel naturales erant strepitus, vel nocturna animalcula, vel certè in alicujus somniantis vel delirantis imaginatione primùm nati fuerunt. Quod si solis Astronomis scriberetur Ephemeris, posset motus nodorum in solidum omitti, cum ipsa latitudo Lunae, quam ex Ephemeridibus alijs per cognitionem loci nodorum investigamus simplicem, composita hic in peculiari columna jam exhibeatur computata, adeoque ne computetur quidem ex loco sectionis illius libratilis praecognito.

q Nisi per formam hypotheseos geometricam compositis duabus eccentricitatibus in unam, ut factum in Ephemeride anni 1618, nam pro latitudine compositio haec non compendium habet, sed dispendium.

Sed quia vulgo astrologorum est gratificandum, nec omitti potest nodorum circuitus; praestat igitur figmentis hisce astrologicis suum relinquere | antiquum morem et motum, quem obtinuerunt in omnibus Ephemeridibus ante ORIGANVM scriptis, nec novis subtilitatibus illa sacra turbari. *ſ*

Quin etiam si audiamus Astrologos magis sobrios, vis ideò censetur inesse nodis, quia in eorum vicinia contingunt eclipses Solis et Lunae. Atqui non ille per mensem (BRAHEO) libratilis, vel per annum (mihi) inaequaliter incedens nodus medium indicat locum inter eclipticae puncta eclipsibus cujusque anni infestata, sed fungitur hoc officio nodus aequaliter retrocedens.

Objiciat hîc aliquis vim inesse nodis ex eo, quòd Lunam invehant sub ecliptican, eoque non negligendam fuisse trepidationem illam nodorum. Concedatur astrologo theorema, non ideo sequitur, quod infert objectio. Nam si de illo loco certatur, in quo Luna venit una vice sub eclipticam, quid igitur opus, vaga illa nodi vestigia omnia sequi, quibus ille secundùm TYCHONEM toto mense ad hanc metam astrologo propositam properat, cùm in nullo priorum vestigiorum, praeterquàm in ultimâ metâ, Lunae centrum sub ecliptica sistat? cur retrocedit nodus iste ad incursus Lunae in copulas, cùm in copulis Lunam eo mense non possit sistere sub ecliptica? Computetur sanè locus ille ex latitudine ipsa.

Verbi causa, in meridie diej 10. Januarij latitudo Lunae meridiana est scrupulorum duorum, quae absorbetur 22. scrupulis longitudinis, seu 44. scr. horae circiter; cum ad nodum aequabilem restet Lunae iter 4. horarum, quintuplo longius. Itaque locus desideratus erit in gr. o. 48. ☌, cum sit nodus aequabilis in gr. 2. 24. ☌. †

Sin autem, ut fert sanior ratio, vis in eo potius consistit, non quod Luna bis saltem in quolibet mense, sed quod crebrò apud nodos in eclipticam incidit,

29) aequabiliter

loca illa crebra, ut prius loca eclipsium, disperguntur ante et post nodum aequabilem, et hic est in illorum omnium medio. Ut non dicam, quod Luna dimidij gradus arcum latitudinis corpore occupet, integri gradus parallaxin in austrum faciat, quibus duabus exceptionibus cum allata ratio vehementer turbetur, nihil illi nodorum libratio vicissim opitulatur. Hae sunt igitur meae rationes, cur aequabilem nodorum retrocessum reliquerim, quamvis mea hypothesis physica praebeat, si non libratilem, ut BRAHEO, hoc est alternis septimanis directum vel retrogradum, at certè quadam annuâ vel semestrali inaequalitate nunc tardum nunc velocem.

Verbi causa, inter 2. et 3. Aprilis locus nodi veri esset in gr. 29. 48 ♒ circiter, cùm motu aequabili introcesserit usque in gr. 28. 3 ♒. At inter 22. et 23. Junij locus nodi veri invenitur gr. 22. 0 ♒, aequabilis in 23. 45 ♒. Hic retrocursus in diebus 80. est gr. 7. 48. At à 10. Januarij in 2. Aprilis per dies 82. retrocessus fuit à gr. 0. 48 ☌ in gr. 29. 48 ♒ per gr. 1. 20 ferè stationi aequiparandus.

Quem ego retrocessum inaequalem si posuissem in Ephemeride, non illi potuisset objici, quod supra ORIGANO fuit objectum. Nam quem locum nodus iste meus quolibet mense occupat, illo in loco Lunae centrum spectanti velut ex Terrae centro bis eodem illo mense venit sub eclipticam; ut sic non evagetur nodus in loca alia. Sed ut jam dixi, tanti non fuit haec ratio, ut propter eam vel ipse laborem mihi sumendum censerem computandi loca nodi veri (q in divisarum eccentricitatum hypothesi), vel Astrologis no[l]va observatiunculâ motus hujus inaequalis novam crucem figerem cum ORIGANO. Interim tamen vel ob hoc solum laude digna est industria ORIGANI, quod Tychonicis inventionibus hanc gratiam habuit, ut librationem nodorum per 60. annorum spacium ex mente autoris diduceret, exponeretque publicè, meque hoc labore liberaret.

26. *Diametrum Lunae* in apogaeo inque copulis feci scr. 30. in perigaeo † scr. 34. 10. secutus ferè meas proprias observationes, quas vide in Opticis. TYCHO diversimodè de hac. Nam in typo parallaxium non patitur ejus hypothesis ultimo recognita, Lunam in copulis plus variari quàm scr. 1. 39. itaque tradit illam scr. 33. 9. et 34. 48. At in tabula semidiametrorum antiquiore variat † illam in copulis à scr. 32. in 36. Utrinque majorem fecit in genere quàm ego. Atque meis ego ipsius observationibus quodammodo vim feci, ut antecessorum affirmato locus esset, fieri posse, ut Luna sub Solem invecta limbum ejus extremum non tegat, ut item HIPPARCHVM tenerem, qui diametros Solis et Lunae apogaeae facit aequales ex observatione. Vide caput VIII. Astronomiae partis Opticae, praesertim No: 3. et fol. 302. Simul autem tribuendum alquid censui opportunis observationibus TYCHONIS BRAHE, qui Lunam apogaeam de die observavit scr. 30. nec non et alijs meis, cùm Luna in perigaeo esset, quas vide Ast: Opt: fol. 344. Etsi igitur optabam, sequi posse observationem meam accuratam Lunae apogaeae f. 431. libri dicti, et inde diametrum ejus non tantum scr. 30. 30. ut fol. 360. illius libri, sed planè 31. 0. facere, remisi tamen unum vel dimidium minutum in apogaea, ne cogente hypotheseos necessitate nimium ultra scr. 34. augerem perigaeam contra observationem

8) semestri 14) gr. 1.0 *statt* 1.20

fol. 344. Neque in his conclusum penes me est, quin libertatem reservo augendi eam uno minuto, si major observationum numerus id postulare videbitur.

27. In *eclipsibus verò Solis nequaquam minorem exhibeo diametrum Lunae* quàm in lunaribus cum BRAHEO in tabula diametrorum, nec in eclipsibus Lunae majorem solito cum DAVIDE FABRICIO Frisio; nam quod minor illic apparet aspicientibus, id merum visus est accidens, ut solidè à me demonstratum est in Opticis, et inculcatum fol. 286. Fabricianae quidem speculationi, quam publicavit in Prognostico anni 1616. et quem ibi statuit, aëri lunari pellucido, † non nihil tribuendum esse monui fol. 302. at neque id ipsum ille praestat, quod contendit FABRICIVS, ut videlicet eclipsis Lunae tempus augeat, diametrumque Lunae sensibiliter ad 4. vel 5. minuta dilatet, minimè; neque id, quod ei tribuendum esse suspicor, obtinet solus sine aemulis causis alijs: ut sc. in totali eclipsi Solis radij extremi Solis refringantur in aëre lunari, et refracti ad oculum pervenientes speciem exhibeant integri circuli lucidi, seu coronae de Sole residuae. Nam offerunt se pro causis etiam alia, ut diameter ☽ verè minor Sole interdum, et fol. 30. substantia aetherea Soli circumfusa, à Solis splendore imbuta et contactu quasi inflammata, quam causam et rubor in eclipsibus Lunae, et crepusculorum figura arcuata confirmare videntur, et confirmavit egregiè observatio eclipsis Solis Neapolitana anno 1605, de qua vide librum de Stella anni 1604. fol. 116. | 20 †

28. Sequitur, ut de *parallaxibus Lunae* agam, quas TYCHO BRAHE fidâ methodo ex observationibus altitudinum Lunae indagavit in quadraturis, inven- † itque in apogaeo intervallum Lunae et Terrae semidiametrorum Terrae 59. scr. 40. in perigaeo 53. scr. 48. At cùm negotium subtile sit, non fuit illi religio, has inventas distantias accommodare suae hypothesi, ut in apogaeo esset semid. 60. 36. in perigaeo 52. 24. hoc quidem in quadris, in copulis verò secundùm tenorem hypotheseos suae constituit illa intervalla semid. 58. 8. et 54. 52.

Ego idem negotium aliâ quidem methodo, quâ simul maximae latitudines et parallaxes quaererentur, sed observationibus Braheanis inquisivi, nec aliud mihi quàm illi prodijt: posteà per eclipses Solis, ultimò per lunares eadem inquirens, tandem conclusi, cogente hypotheseos meae lunaris formâ, Lunam Soli copulatam in apogaeo 63. paulò minus semidiametris à Terris abscedere, in perigaeo 55. paulò plus, duabus in mediocri distantiâ semidiametris plus quam habet TYCHO. Hinc parallaxes mihi à scr. 54. 41. ad scr. 62. 20. variantur in copulis, ipsi à scr. 59. 9. in scr. 62. 39. ut in perigaeo proximè TYCHONEM teneam.

29. Jam *semidiametri umbrae* ad semidiametrum Solis, parallaxiumque Solis et Lunae constitutionem necessariò sequuntur, ut si quis hic aliquid mutare velit consideratis eclipsibus, is necessariò etiam illorum aliquid mutare cogatur. Ne miretur itaque studiosus astronomiae, si viderit umbrae semidiametros meas à Tychonicis differre, ijs quidem, quae sequuntur ex suis apud TYCHONEM principijs. Nam quod illas attinet semidiametros umbrae, quas exhibet TYCHO BRAHE in ultimâ tabellâ diametrorum, quas ego quàm proximè exprimo, † quantum per eccentricitatis meae differentiam à Tychonicâ fieri potuit, illae non cohaerent apud BRAHEVM geometrico vinculo cum Luminarium diametris Tychonicis et parallaxi Solis. Quod quamvis astronomi limis oculis in-

spexerint, et passim ad me provocaverint, etiamque FABRICIVS in praefatione Prognostici cujusdam videatur perstringere: non tamen temerè commissum existimandum est, dum illi viro haereret in animo negotium refractionis, faveretque difficultas agnoscendi veri principij in lunaribus deliquiis finisque meri. Vide super utroque impedimento meam Astronomiae partem Opticam passim, praesertim folio 279. Nam ibi explicatur schemate, quid faciat refractionis negotium: scilicet causatur quidem ruborem in Lunâ deficiente, at geometricam umbrae terrenae figuram nihil turbat. Ergo quod astronomi à me petierunt, habent tandem, aptatas inter se per commoditatem hypothesium physicarum diametros luminarium et umbrae, easque cum eclipsibus annorum quadraginta, quantum passa fuit observationum ipsarum incertitudo, sic conciliatas, ut spes sit, non facilè quid in futurum desideratum iri.

30. *Aequatio temporis*, à TYCHONE BRAHE in Lunae motibus usurpata, displicuit astronomis, quod causam alteram omitteret, aequationes Solis. Atqui
11 tan|tum abest, ut quicquam hîc peccarit BRAHEVS, ut potius adhuc amplius in illam partem sit tendendum. Scribit SIMON MARIVS in Prognostico anni
† 1617. notabilem aliquem defectum superesse in lunaribus TYCHONIS, non tantùm in tempore, sed etiam in quantitate eclipsium. Eum arguit observatione eclipsis solaris, quae fuit 3. Octob. anni 1614. quae et maturius inciderit et
† 20 major facta sit. Idem à me Lincij, idem Venetijs et Monachij observatum est. Spero igitur detectâ tertiâ causâ aequationis, quae se ad scr. 21. 41. unius horae extendit, medicinam his defectibus si non plenam, at saltem aliquam allatum iri. Est autem illa aequationis pars affectionis contrariae cum illâ, quam omisit TYCHO BRAHE, ejusque duplum et amplius. Itaque ego, resumptâ vulgari aequatione, quae constat ex causis duabus notis, sic tamen accommodatâ, ut à gr. 2 ♋ incipiat, adjunxi hanc tertiam, incipientem ab apogaeo itidem Solis: cujus quantitatem non sanè ex observationibus constitui, sed deductam à priori, per observationes redarguere nondum potui. Oritur autem (ut variatio) à supernumerarijs aliquibus temporibus, scilicet à diebus 5. horis 6. supra dies 360.
30 residuis ad finem anni solaris: estque affectio seu inaequalitas motus primi
† mobilis, quod COPERNICO Terra est. De hoc in meâ Epitome plura, si Deus voluerit.

31. *Denique computavi ego hanc Ephemerida ad meridianum Vranoburgicum*, qui per latissimam Europae partem, et meditullium Bohemiae, totiusque adeo Germaniae proximè Pragam Imperatoris, et Romam summi Pontificis sedem traducitur: ORIGANVS verò computavit suas Ephemerides ad meridianum,
† qui 12. minutis unius horae orientalior est Vraniburgico.

TYCHO Vraniburgum statuit sc. 4. vel 5. orientalius Rostochio, 5. sc. occidentalius Pragâ: sed chartae recentissimae ponunt intervallum hoc scrup. 7.
40 Lincium scrup. 1. occidentalius Pragâ. Ex meis verò observationibus olim Grätij habitis, si eas comparo cum Pragensibus vel Vraniburgicis in eadem utrinque eclipsi habitis, adjunctâ distantiâ itinerariâ et altitudinibus poli, conclusi Lincium esse scr. 4. orientalius Pragâ. Itaque fuerimus hic Lincij vel 9. vel 11. scr. orientaliores Vraniburgico meridiano. Quod si quis Vraniburgicum eundem posuerit cum Veneto, illum haud facile redarguerint chartae optimae: quibus indicibus neque Roma plus quinque scrupulis erit orientalior, eoque
† Pragensi meridiano ferè subjecta.

q Nuper hoc anno 1617. nactus sum descriptum observationis eclipsis Lunae anno 1616. 26. Augusti, quae Romae est facta: ex qua cum aliorum locorum observationibus comparata, non multo alia elicueris, quàm ex mappis et distantiâ itinerariâ. MAESTLINVS enim Tubingae principium observavit H. † 1. 33. per altitudinem dextri humeri Orionis gr. 9. Finem H. 4. 43. per altitudinem Sirij gr. 11. 20. Duratio ergo est H. 3. 10. Et medium incidit in H. 3. 8. post mediam noctem.

Romae verò (puto GRVNBERGIVS) observavit initium H. 1. 43. 30. finem H. 4. 56. 24. Duratio ergo H. 3. 13. fere ut MAESTLINVS, et medium igitur H. 3. 20. Itaque differentia meridianorum Romae et Tubingae esset min. 12. seu gr. 3.[1]

Lincij verò in monte proxime versus septentrionem observavi principium in azimutho ☽ à meridie versus occasum gr. 31. 20. quod azimuth comprobatum est diligenter tam per stellarum in illo altitudinem, quam per ortus Solis amplitudinem cum illo comparatam: unde per locum ☽ visibilem, ut par est, elicio horam 1. 48. Finem in ipso occasu ☽, cum Sol haberet jam altitudinem 1. 20. et utrumque Luminare spectaretur in meridiano horizontis semicirculo; adeò quidem, ut dubitem, an in ipso occasu ☽ defuerit aliquid integritati luminis, an hebetudo luminis à penumbra Terrae causata mihi speciem defectus falsam praebuerit per crassum et diurna jam claritate splendentem aërem. Oritur autem Sol Lincij ad diem dictum H. 5. 14. duratio esset mihi H. 3. 28. ob visus rationes seu vitia, qua de re jam ante annos 13. in Astronomiae parte Optica sum testatus fol. 218. Sit tamen mihi finita 4. minutis ante ortum ☉ et † medium H. 3. 30. esset igitur differentia meridianorum Romae et Lincij M. 10. seu gr. 2. 30. Tubingae et Lincij gr. 5. 30. cum qua proximè consentit distantia itineraria, ut secundùm Danubij ripam uni gradui longitudinis demus germanica milliaria 11. Roma igitur secundùm posita principia gr. 1. 30. occidentalior esset Pragâ, vel nihil vel dimidio gradu orientalior Vraniburgo.

Sed celare non possum Lectorem occasione mentionis hujus eclipsis, multos in visus luminisque Lunae residui rationibus errores latere. Romanus observator existimabat, superfuisse aliquid in extremo meridionali Lunae margine: Idem asseverat MAESTLINVS, qui etiam Telescopio usus est: Idem et mihi visum. At credidit Romanus ille alijs socijs observatoribus, qui seorsim à se in alijs aedibus observabant, usi telescopio; prodiderunt autem momentum incidentiae H. 3. 6. 30. Emersionis H. 3. 33. 45. Moram igitur in tenebris H. 0. 27. 15. Neque ego quod contradicam pertinacius habeo. Nam anno 1598. mense Augusto observavi tantam claritatem exterioris limbi Lunae in umbram † immersae, ut digitos aestimare voluerim, nisi confusa vidissem discrimina lucis et umbrae. Sic etiam anno eodem, mense Februario Braheani censuerunt aliquid superfuisse, et FABRICIVS aestimavit residuum luminis 2. digitis, cum tamen Luna tota in umbra esset. Ipsa haec eclipsis, de quâ hic agimus, argumenta mihi praebet residui non veri et puri ex Sole sudo, sed adulterati luminis ex refractis Solis radijs, umbrae limites ingressis. Nam diu admodum et plusquam dimidiam horam cunctata est Luna, neque diminuens lumen amplius neque augens; limbus, qui lucidus videbatur, aestimari non potuit, nec latè spargebat, mihi radios in oculo meo, ut alias claritas Lunae mera solet; cumque tota Luna ruberet, partes tamen sinistrae supra lucidum limbum rubebant clarius: et quod caput est, cornu illud falsum in medio eclipsis non praebuit argumentum centri

luminis: Hora enim 3.17. cùm esset azimuth ☽ gr. 51. altitudo gr. 16. censui lineam, quae media falsa cornua secabat, transire proximè supra caput Pegasi: quod si vera cornua fuissent, indicium id esset medij eclipseos: at intra quadrantem horae medium esse nondum potuit. Vide plura in Astronomiae
† Opticae parte, cap. 5. et 7. Consentit et calculus meus observationi Romanae alteri, quae exhibet principium Vraniburgi H. 1. 21. 23. apparenti, incidentiam H. 2. 44. 23. Medium H. 3. 0. 3. Emersionem H. 3. 15. 43. Finem H. 4. 38. 43. Moram ergò in tenebris M. 31. 20. Durationem H. 3. 17. 20. Sed aucta nonnihil diametro Lunae, hanc longiorem, illam breviorem.

Ex his sequitur necessariò, inter loca Lunae, quae ex mea et ex ORIGANI Ephemeride depromuntur ad tempora aequalia, differentiam aliquam esse, sic ut propter praemissa No. 14. quinque minuta, propter No. 17. quatuor, propter No. 19. novem, et denique propter No. 31. sex, in universum 24. minuta quandoque acervari possint in locis extra quadras et copulas: Veruntamen 18. summùm minuta restant, orta ex differentiâ calculi. In quadris verò et copulis differentia calculorum est minutorum quinque vel sex (q in Eph. anni 1617. insequ: minor) idque tantummodo in octantibus eccentrici Lunae inferioribus.

Quâ super re si quis astronomiae peritus mihi TYCHONIS discipulo litem movere voluerit: illum ego ante omnia ad TYCHONIS observationes ablego, illasque cum utroque calculo, meo et ORIGANI conferre jubeo. Nam in hunc finem tandem aliquando conformandus mihi fuit aliquis calculus, ut tantò faciliùs animadvertere possem, quid meis inventionibus deesset. Inveniet autem nisi fallor quod agat, qui vel solas hic subjectas observationes calculo repraesen-
13 tare voluerit exactè, quas ta[l]men ex uno saltem mense deprompsi, intra quem non omnes simul partes calculi, varietatesque mixturarum probari possunt.

Anno 1594

Decembris	Longitudines ☽	Latitudines
D. H. M.	G. M. S.	G. M.
10. 4. 0.	6. 47. 45 ♈	3. 38. Mer.
11. 5. 6.	19. 20. 40 ♈	2. 18. M.
14. 8. 34.	29. 5. 20 ♉	1. 6. Bor.
15. 9. 56.	13. 13. 50 ♊	2. 19. B.
20. 3. 50.	13. 49. 30 ♌	4. 27. B.
21. 6. 0.	29. 44. 30 ♌	3. 59. B. correctè per
22. 6. 30.	14. 28. 45 ♍	3. 28. B. parallaxes
23. 7. 36.	29. 27. 50 ♍	2. 24. B.
26. 9. 40.	12. 3. 20 ♎	
27. 10. 2.	25. 26. 0 ♎	2. 15. Mer.
28. 7. 45.	7. 58. 20 ♐	3. 11. M.

Denique habeant hoc ex Astronomicâ Scholâ TYCHONIS BRAHE (quantum ejus penes me est) sibi dictum universi, quod PTOLEMAEVS suis verbis

6) alterae, qui

praecipit Lib. IV. Operis magni cap. IX. *Decet namque eos, qui amore veritatis impulsi speculationes hasce suscipiunt, non solum ad priscorum emendationem certiore novâque uti viâ, verùm etiam ad sui ipsorum: nec id turpe sibi putare, si non solum à se ipsis, verùm etiam ab alijs ad exactiora revocantur: praesertim cùm magna haec atque divina professio sit.* †

Hoc igitur dictante magistro merum mihi arbitrium, quoad vixero, reservo, cum in alijs punctis praemissis, tum praesertim N. 19. in variationis negocio, mutandi illa, quae quovis tempore Braheanarum observationum fides postulabit, aut melior ratio dictabit: idque tantò magis, quanto plures docti et considerati futuri sunt astronomi, qui sua judicia super institutis emendationibus mihi per literas (nam libros omnes legere non possum) communicaverint.

DE RELIQUIS QUINQUE PLANETIS

Quantum verò ad motus trium superiorum attinet, Saturni, Jovis et Martis, *duorumque inferiorum* Veneris et Mercurij: etsi reliquit TYCHO BRAHE perscriptum in schedis, quid in singulis mutandum censeret: in hac tamen Ephemeride restitutionibus illis Tychonicis uti ego non potui; in promptu causa est, Martis enim motuum restitutio ex observationibus Braheanis à me ante annos septem vulgata, passim in omnium oculis versatur; quae cùm satisfaciat observatis et causis physicis superstructa sit, formâ hypothesium particularium multum ab illâ | diversâ, quam cum veteribus BRAHEVS censuerat 14 sequendam; cumque in illis Commentarijs hoc insuper sit demonstratum, fieri non posse, ut quis veterum hypothesium particularium formam secutus, Martis motus coelo per omnia conformes computet: nihil igitur restabat, quàm ut fidem facerem astronomis, motus hujus planetae secundùm hypotheses in Commentarijs explicatas computari etiam posse, eosdemque in probandâ calculi certitudine publicè adjuvarem. In Martis igitur motibus computandis ne latum unguem à Commentarijs dictis recessi.

q Id Lector ipse poterit experiri, secutus praescripta I. A. MAGINI in Supplemento Ephemeridum, cujus suprà mentio facta. Nam mea in Martis motus Commentaria et Epistolam super hoc calculo scriptam, quam adjunxit, fidelissime secutus est, me quidem ad hunc usque annum 1617. penitus inscio. †

Reliqui quatuor ijsdem in formâ nixi sunt hypothesibus, quibus Mars, quibus et Tellus ipsa, suâ quilibet quantitate circulorum, suis numeris; singulae singulis datae sunt orbitae eccentricae, figurâ ellipticâ, celeritate crescente ab apogaeo in perigaeum, utrumque necessitate causarum physicarum simplicissimarum; singulae orbitae angulis singulis constantibus ad eclipticam inclinatae, aphelia et nodi omnium fixi per tam breve anni tempus; idem Terrae motus, eaedem Solis et Terrae distantiae omnibus applicatae, praetereaque nihil: nulli inquam hîc deviationis circuli, nulli obliquationis, nulli reflexionis, nulli in Venere eccentri eccentrorum, nulli in Mercurio; eccentricitatis Telluris dimidiatio illos consumpsit.

Quantum igitur ad Superiores, ausim spondere, non facile differentiam Ephemeridis à coelo occursuram, quae oculis notari possit; si vel instrumentis ex-

1) Lib. V. *statt* IV. 38) Solis à Terra

quisitissimis attenderint astronomi exercitati, vel insidiati fuerint congressibus illorum inter se et cum fixis clarioribus, quarum loca etiam certè fidis observationibus et accurato calculo fuerint constituta.

Quod verò Inferiores attinet, etsi ne hos quidem oculi in errore ullo sunt deprehensuri, non ausim tamen affirmare, nihil in ijs restare emendandum, propterea quod in Venere occurrunt observationes Braheanae, quas vicinia Solis, aëris inaequalitas, situsque sideris proximè Tellurem, id est parallaxis, in suspicionem erroris adducit, ut nulla re nisi authoritate diligentissimi artificis fidem sustentent: quibus ego observationibus (quia peropportunae videbantur in constituenda commutatione annuâ) nixus, metuo ut per plurium aliarum collata suffragia minutorum aliquot reus fiam: quod operosissimum testium examen, et periculosa discretio fidorum ab infidis aliud tempus requirit.

Non minimum etiam restat laboris in secernendis Veneris observa|*tionibus diurnis*, à BRAHEO creberrimè habitis, et nocturnis: et quae ex utrisque demonstrantur, quas ego imprudens commiscueram, non minimo erroris periculo. Nam † restat de 6. minutis motus Solis à fixis lis inter Landgravium et BRAHEVM indecisa, nutantque huc illuc testimonia. Neque enim tanta potest esse Veneris † parallaxis, quantam assumpsit BRAHEVS in Progymnasmatis, accommodans eam ad parallaxin Solis à veteribus traditam, quae procul dubio est minor; et ut ut ponamus tantam esse parallaxin Veneris, non tamen exactè compensantur parallaxes ejus binae in eâdem altitudine ab horizonte, non etiam fuerit idem utrinque Veneris et Telluris intervallum. Denique ut demus, duobus eclipticae † locis motum Solis per Veneris observationes bene esse ad fixas annexum: non tamen idem statim de toto etiam circulo verum erit; potest enim minimâ aliqua declinationis Solis mutatione (qualis est illa per mutationem parallaxeos Solis) effici, ut longè alius sequatur locus apogaei solaris, eoque et aequationes Solis paulò aliae fiant circa apsidas.

Quae omnia cùm per se sint contemptissimae quantitatis, si tamen se immisceant observationibus Veneris fundamentalibus, et locus Solis, à quo Venus est observata, pro certo sub fixis assumatur, qui est reverâ paulò diversus; necesse est hinc oriri conglobationem aliquam, ut in montibus nivium, sic hic errorum in tam longis ambagibus investigandorum Veneris motuum: ad quos, si qui sunt, detegendos et evolvendos (etsi haud facile quadrantem unius gradus excessuros ullibi puto) planè opus est longiore tempore.

In Mercurio major est difficultas, etsi occasiones erroris deprehendendi rarissimae sint. Omnes ejus observationes à BRAHEO conscriptae per 20. annos, quae quidem fidae sunt et indubiae, intra unicum eccentrici Mercurialis trientem cadunt, reliqui duo trientes inobservati manent, hoc quidem saeculo inque nostro hemisphaerio.

Jam verò quantae difficultatis res sit, ex ductu parvi arcus totum consummare circulum citra errorem, non opus est multis verbis declarare. Quare etsi in elongationibus maximis, quas hemisphaerio nostro Sol non invidet, nullus magnus error ex vitiosâ commutatione potest exsistere; in conjunctionibus tamen Mercurij cum Sole, quarum in meteoris magna vis est, non ausim affirmare, meum calculum semper intra ipsius diei metam consistere, quanto tempore commutatio quinque gradibus interdum variari | potest; locus Mercurij apparens cum est retrogradus, uno gradu cum triente vel semisse.

Quae adeò causa est, cur in his duobus planetis non scrupulosior esse voluerim, quam in Marte. Nam in Marte ferè sufficit, locum ejus ad decimum quemque diem computare; in Venere et Mercurio, praecipuè in hoc, intra decem dies magna occurrit varietas, maximè cum stationibus appropinquant, aut cum sunt retrogradi; et tamen ut dixi, in Venere fere per denos dies progressus sum, in Mercurio passim per quinos: id maximè in Ephemeride anni 1618.

RESPONSIO AD INTERPELLATIONES D. DAVIDIS FABRICIJ ASTRONOMI FRISIJ, INSERTAS PROGNOSTICIS SUIS ANNORUM 1615. 1616. 1617.

Tempus est et invitat materia, ut ad Te convertar, sollertissime Fabrici, Amice Uranice; nec enim dignitatem hujus nominis, qua me cultum et ornatum voluisti, cum consuetudine literas ad te mittendi deposui. Succensuisti fateor conticescenti; sed et fatigasti responsantem, Echo mea germana, cui cum esset concedenda vox ultima, id est priori mihi tacendum, non magna sollicitudine animi finem reciprocationis illum statui, quem tempus suasit; cum occupatissimus in Commentarijs Martis edendis, operâ publicâ privatae responsionis gratiam me redempturum speravi.

Ex illo tempore frustra tu Rotulae tuae Magneticae Indicem in literam A. direxisti, ut et in Meâ Rotulâ, per longinquum hoc occultae virtutis commercium, efficeres idem: alij mihi magnetes ex propinquo ingruebant virtute valentiores, effectu tuae contrario, ut penes me litera nulla crebrius indicaretur ijs, quas Dolor et Luctus et Mors et Orbitas, et Bella et Lites praefixas gestant in frontibus, et Pecunia in occipite, et ab eadem syllaba incipientes: Migratio et Miseria, quae *Mi fa lasso languire*. Crudelis, qui silentium meum, sub quo ceu † ligamento quodam vix aegrè coalescebant mentis vulnera, publicis machinis admotis nisus es expugnare, linteaque cicatricibus nondum obductis revellere. † Verum non est suspicax charitas; ignarus aegritudinum mearum fuisti, veniam meretur amor noster, quam non aliter me tibi probare possum indulsisse, quàm si ad publicas tuas provocationes publicè quoque respondeam; quod ante editionem hujus Ephemeridis commodo meo facere non potui. Age itaque tuam praefationem in Prognosticum anni 1615. examinemus; crebra enim occurrit † nominis mei mentio.

1. Commendas profectum aetatis nostrae in scientijs; egregia voluntate, judicio à meo diverso. Nam quod ego praestantissimum in hoc profectu judico, penetrare ad genuinas causas motuum, tu praeteris intactum viderisque fastidire, Prognosticisque et judicijs genethliacis, quae conjecturis continentur, longè postponere: quippe qui meas in causarum inquisitione moras increpitas, Tabulas efflagitas, ex quibus Prognostica fiant, utcunque philosophia habeat.

2. Inter inventa seculi nostri refers, demonstratum à te, tegi fixas et retegi, quando Novas nos putamus. Conjectura est ex observatione tua et SIMONIS MARII nostri (de vestigijs novae in Cassiopeja superstitibus), conjectura inquam † notae non malae, sed lubrica, nec certa foelicitatis suae. Nam quae pars coeli caret fixis minutulis? quis porrò certum reddit astronomum, se Telescopium ad ipsissimam sedem Novae dirigere tanta minutiarum exactione, quantae sub-

tilitatis id instrumentum est, cum locus Novae non illo, sed vulgaribus instrumentis fuerit investigatus?

3. Quae de *ortu Cometarum aetherio, stellis novis, lactea via, Satellitibus Jovis, de Luna terrea, Venere corniculata, de Refractionibus, altitudinis Nubium metiendae* † *ratione, de Motu perpetuo DREBELII Belgae, Musicoque ejusdem automato:* ea brevitatis causa una voce transmitto: approbo; disertus es, applaudo. Dum verò ais, *esse Lynceos qui homines et animalia in Lunae globo degere affirment*, etsi vi vocabuli subsumi potest, *videri in ea homines quippe à Lynceis*, quia tamen nullum novi qui hoc affirmet, nec etiam eo usque se porrigit subtilitas Telescopij, hinc cogor suspicari, perstrictam esse Disser|tationem meam cum Nuncio Si- † 17 dereo. Atqui non affirmavi, me talia videre minuta, sed ex ijs, quae vidi majuscula sanè, comparatis cum ijs, quae hic in Terris fiunt minutissima (nam quae proportio est aggeris Peloponnesiaci ad Pelion aut Ossan montes?), audacia sumpta ratiocinandi, quaesivi joci liberalis et philosophici occasionem, ut praedixeram in praefatione.

† 4. Quod METIVS inventor Telescopij pollicetur *instrumentum, quo literas ex intervallo trium milliarium legere possis*, id pulchrum ausu, impossibile factu puto: non vidit homo, aut non percepit demonstrationes à me proditas. Vnciales literas repraesento facile, quae sunt scriptae communi magnitudine; sed illas, quae non distant multo plus à vitro, quam vitrum ab oculo. Datur appositio ad speciem in infinitum, at divisione infinita incrementi primi, non repetitione incrementi ejusdem. Quantò majus apparet, quod vides, tantò minor est incrementi auctio. Quid quod et quanto seipso majus apparet quod vides, tanto pars de toto, quae in uno perspicilli situ videtur, minor est? Lego tamen et ipse literas ex intervallo trium milliarium, sed inscriptas horologij circulo, † pedales et cubitales existentes, nec nisi dijs faventibus, Junone et Phoebo.

5. *Maculas Solis à filio tuo longè ante Apellem visas*, si harum vindiciarum sa- † tagis, et testatus sum Pragae multis, et testor etiamnum.

q Quin etiam lecto tuo Prognostico in annum 1618. ex quo de immaturo ejus obitu certior factus sum, significationem addo publicam doloris mei; quod et Te amicum filio frugi, et philosophiam curatore sollertissimo, veritatis et liberae sententiae amantissimo, et me delicijs meis orbatum intelligam. Sed nimirum extat ejus libellus de Maculis Solaribus anno 1611. editus, quovis elogio epitaphiove honorificentior, qui et famae illius posthumae praesidium, et communis nostri doloris lenimentum continet.

6. Hae Solis maculae si *corpuscula* sunt *volitantia in inani*, certè non sunt nisi vicinissima Soli, ut nubes Terrae: quid si, ut hae sunt vapores aquei, sic illae piceae fuligines? An pulchrior allusio GALILAEI, qui ferri candentis tinctiones, et instillationes guttarum aquae aut cerae profert, quibus exustis partes aspersae clarius enitent: ut quidem apparent etiam in corpore Solis flammulae et luculae clariores reliquo corpore.

7. *Revolutionem macularum Solarium statuis tredecim mensium*, perinde ac si sit in aethere proximè sub Sole orbis aliquis cancellatus quasi, seu contextus infinita macularum serie, cui tribuis motum diurnum M. 57. et quod sequitur hinc, evolutionem seu apocatastasin annorum triginta. Sollertiam agnosco tui ingenij, diligentiae verò et laboris irriti me miseret. Non satis FABRICI circum-

spexisti circumstantias omnes; oblitus es, motum macularum in medio Solis corpore velociorem esse, quàm in marginibus: nimium facilis es in comminiscendis orbibus, et mole hypothesium: crebram hanc in meis Epistolis querelam invenies: famam in astronomicis hypothesibus emendandis hoc vitio prostituimus.

Nihil hic circa Solis maculas reliquum tuis vel meis curis fecit accuratissima GALILAEI diligentia, cujus Epistolas ad MARCVM WELSERVM p. m. Italico scriptas idiomate suadeo à bibliopolis requisitas diligenter perlegas: dignae omninò sunt, quae et latinè legantur. †

8. *Maculam ego visam pro Mercurio perperam venditavi?* Foelix eo ipso, quod primus hoc saeculo macularum observator: eripio ergò filio tuo palmam hanc eodem jure, quo MARIVS GALILAEO satellitij Jovialis primùm visi laudem eripuit. Nam si ego nescivi me Solis videre maculas, nescivit et ille principio se Joviales satellites aspicere, cum tamen aspiceret. Non tamen nec mea nec filij tui propria est hujus inventionis gloria. Vidit ante annos DCCC. astronomus alius, putans se videre Mercurium: vicit hic tandem, patefactis maculis, MAESTLINVS, cum se jam à me victum ipse fassus esset, herbam mihi praebuisset, ratus et ipse, quam anno 1607. vidi maculam, eam fuisse Mercurium, eoque et de antiquo illo astronomo tandem confessus idem. Adeò etiam in Astronomia fortuna pugnae variat, dum mobile conjecturarum agmen fide lubrica huc illuc nutat. Mercurij hic, ô FABRICI, culpa nulla est, joco tu exclamas, scio. † † † 10 20

Vidit verò et AVENRODAN duas in Sole maculas (ut refert PICVS MIRANDVLANVS, libro contra Astrologiam scripto) censuitque, vicinitate diei deceptus, Mercurium sub Solem ingressum se vidisse. Quod cum ex MIRANDVLANO transcripsisset COPERNICVS, nomen tamen AVENRODAN in AVENROIS commutavit, exhibuitque MAESTLINO laborem irritum quaerendi locum per omnes AVERROIS Commentarios. †

Et quid si VIRGILIVM antiquiorem omnibus produxero; non quidem cùm canit: 30

Sol ubi nascentem maculis variaverit ortum.

Non sunt enim Solis, sed plagae orientis illae maculae, sequitur enim:

Conditus in nubem medioque refugerit orbe.

Sed in hoc versu:

Sin maculae incipient rutilo immiscerier igni
Omnia tunc pariter vento, nimbisque videbis
Fervere. [1] †

Sic ut intelligamus tunc enitere maculas, cum per aqueum vaporem umbo *18* Solaris corporis hebetatus est, radijque retusi, ut non ita percellant adeòque occaecent oculos. 40

9. Ex observatione Mercurij quam habuisti anno 1607. die 29. Aprilis, proportione motuum concludis *illum sequenti 18. Maji sub Sole à me videri non potuisse, idque censes me ipsum nunc tandem agniturum esse.* Vereor, si, quod te scio summis votis expetere, candidè tecum egero, ne Lector philosophicarum collationum insuetus voculas captet, funem contentionis me trahere caussetur. Sed

10) ventitavi

valeant suspiciones, agamus nos more nostro. Frustra es FABRICI, nuspiam minus regnat proportio constans, quam cum Mercurius sub Solem venit. Ecce mense Novembri anni 1617. Mercurius retrogradationem conficit 18. diebus 16 gradus longam: cùm calculus usitatus dies 21. gradus tantum 8. prodat. Tune discernes ex observatione unica longinqua, uter calculus in retrogradatione verior?

10. Errori meo contraponis catalogum pulchrorum meorum inventorum, † inter caetera etiam *figuram nivis sexangulae*. Omnino consolatoris vices sumpsisse videberis, quasi erga amicum magno scilicet infortunio conflictantem. Mirum nisi et HELENA WAGHERIA resurgat (cujus aphosioseos idyllion ex illo † phaenomeno petitum, quod tu refutas) et Princeps Wirtembergiae Mecoenas meus clementissimus reposcat donatum mihi cyathum auratum pro illarum dedicatione pagellarum: imò et alterum addat tuo judicio, quia quod planè novum erat, Maculae in Sole, id à me modestia infoelici pro veteri illo Mercurio fuit oblatum: quin etiam filius FABRICI tuus suum mihi cedat honorarium: quia Solis maculas prior ipso detexi, idque ante inventum Telescopium Belgicum; ut quidem passim in delubris obvium est, observare has Solis † maculas: quod Ratisbonae in Templo Cathedrali anno 1613. multis ostendi.

11. Ad revocationem etiam me videris vocare sollennem et publicam, *exemplo* † *ROESLINI laudato*. Non expectavi Te FABRICI; monuit me bonus quidam genius (ipsa scilicet agnitionis jucunditas), ut hanc deformem (vah) necessitatem sponte mea praeverterem, primum atque literas Apellis, tuique unâ filij libellum legi. Currebant eodem tempore et GALILAEI literae ad WELSERVM, et meae ad GALILAEVM, praetereaque etiam ad D. HERWARDVM, et ad MAESTLINVM, cujus intererat intelligere, se victoriam mihi largiendo † sibi ipsi fecisse injuriam. Quid? Tune fidiculis opus esse putas ad confessiones hîc extorquendas, aut deprecationibus ad eblandiendas inter eos, qui non pro gloriâ sed de veritate certant? Nam quod publicam hujus agnitionis significationem non dedi: causa est, quia locus illi non fuit alius, nisi hic ipse, ubi inter caeteros planetas etiam de Mercurio ago: librum verò peculiarem hoc vili argumento scribere, id fuit insanire.

12. Jactas tu *repertam à te Mercurij Hypothesin*, ex cujus ductu incursum Mercurij sub Solem figis in 17. Maji anni 1607. eaque re putas, te meam persuasionem, quod die sequenti planetam in Sole viderim, erroris convincere.

At si solùm per hunc tuum calculum res cerneretur, observationem ego tuerer ut veram. At celare te non possum, quod mea hypothesis hanc conjunctionem Solis et Mercurij die nec decimo octavo nec decimo septimo computet, sed quinque totis diebus transmissis, planè vicesimo secundo styli veteris, etsi ut supra dictum de uno die non contenderim. Igitur propter hanc residuam incertitudinem in longitudinis Mercurij motu, nullum est idoneum testimonium, quid veri fuerit in observatione mea. Aliud ego firmius testimonium erroris mei à latitudine Mercurij peto, cujus datur cognitio certior: quod cum ipse non videris, vereor ut erroneam in Mercurio sequaris Hypothesin. Non est enim in fine Arietis nodus Mercurij, nec in fine Tauri, sed loco intermedio, in gradu 13. Tauri circiter: nihil enim tergiversatus fatebor, me

8) figurae

per hoc decennium profecisse. Itaque die 18. Maji sive in gradu 5. Gemini fuerit, sive in 9. sive ut meus calculus vult, longè ulterius, omninò latitudinem majorem habuit semidiametro Solis.

13. Non minus lubricum FABRICI, porrigis argumentum Apelli, signata conjunctione Solis et Veneris in die 2. Decembr. mane H. 2. 30. anno 1611: ut quam ego invenio die 1. Decembr. mane H. 5. non quod hac die calculum tuum praefractè damnem ex dissensu mei, sed ut ejus fiduciam in te redarguam, quia praecisae conjunctiones Solis et Veneris indigent exacta commutationis anomalia: illam verò venari ex observationibus maximarum Elongationum (caeteras enim observationes magis magisque reddit infidas vicinia Solis) est balaenas hamo ducere.[1]

14. Scriptorem illum Gallicum in Sole vidisse non Mercurium, sed maculam, ut contenderat MAESTLINVS, jam supra sum largitus, eoque et vocem ei suam *octo dies* restituo, quam in *octoties* ego commutaveram barbari saeculi fiduciâ: at quae FABRICI consequentia fuerit, *Non vidit Mercurium in Sole*, ergo *Aera ejus jure manet invariata:* qua locutionis forma tu censuram meam insimulas erroris, *quod annum 807. observationi adscriptum, debeamus intelligere finientem in novilunio Paschali sequenti, vel saltem in fixa die vicesimo quinto Martij, et sic more hodierno subintelligere annum 808. incipientem à Calend. Januarij praecedentibus?* Imò propter hoc ipsum vera est mea censura, quòd Scriptor putavit se videre Mercurium in Sole, quippe cujus conjunctionem cum Sole ad diem XVI. Cal. April. computaverat non anno 807. (incipiente) sed anno 808. moris hodierni. Relinquitur tamen ei sua aera, more quidem sui saeculi usurpata, ut sit annus 807. finiens in verno aequinoctio circiter.

AD D. GALILAEI LOCA QVAEDAM

Et quia cùm hoc tum superioribus Numeris, praesertim ab 8. huc usque, multa et de maculis Solis, et de meo Phaenomeno singulari (quod falsum sanè titulum habet: MERCVRIVS IN SOLE) sunt dicta: luculentam videor injuriam facturus GALILAEO Florentino Philosopho eminentissimo (quippe profundissimo) si hoc loco libelli ejus de eâdem materiâ longè ante Fabricianas interpellationes Romae impressi locos duos, ad quos hîc unâ et † eâdem opera respondi, non exscripsero.

Par equidem erat, ut in hac materia non ad te FABRICIVM, sed ad GALILAEVM ipsum orationem dirigerem, nisi et tu plures mihi tecum hoc loco agendi praebuisses occasiones, et ille GALILAEI libellus ex professo non ita paucis pro dignitate sua excuti posset. Sic igitur ille fol. 54:

Dicam quid amplius, ejusdem naturae rerum benignitatem vel ex eo agnosci, quod ad nos erudiendos maculam in Sole aliquando excitavit adeò magnam et obscuram, ut nudo et simplici etiam visu naturali visa illa sit ab hominibus quàm plurimis.

Verùm effecit inveterata illa, sed falsa opinio, quòd corpora coelestia sint ab omnibus alterationibus mutationibusque immunia, ut crederent homines, maculam illam fuisse Mercurium inter Solem et nos interpositum; idque non minimo astronomorum ejus aetatis cum ludibrio.

Cujusmodi macula proculdubio fuit illa, cujus mentio facta in Annalibus Francicis, impressis Parisijs ex Bibliotheca P. PITHOEI I. C. anno 1588. ubi in
† Vita CAROLI MAGNI legimus, Per octo dies continuos visam à populo Francico maculam nigram in disco Solari, cujus ingressus et exitus observari non potuerit ob impedimentum nubium: credita autem fuit esse Mercurius tunc Soli conjunctus. Nimius hic error est, cum non possit Mercurius in Sole morari septem horas, ut fert ejus analogia motuum, quo tempore contigit illum inter Solem et nos intercurrere. Quare certum est, Phaenomenon hoc fuisse unam ex maculis magnitudine et obscuritate insignioribus: cujusmodi porrò quòque
20 10 possunt existere certis temporibus, et | forte, si diligenter observationibus incubuerimus, brevi talem aliquam deprehensuri sumus.

Quod si hoc macularum Solarium inventum aliquot annis maturiùs habuissemus: KEPLERVS labore illo suo sublevari potuisset, interpretandi salvandique locum hunc per mutationem textus, aliasque temporum emendationes; de quibus hic pluribus agere non est instituti mei; certus autem sum, authorem illum, ut verum Philosophum, et qui rebus manifestis se opponere non soleat, primùm atque has meas observationes et discursum viderit, plenum mihi assensum praebiturum.

In alia epistola fol. 112. ejusdem libri:

20 Quòd Mercurius à diversis sub Sole sit visus, id et dubitationem habet, et ad incredibilia inclinat, ut in praecedenti Epistola scripsi. Et quod ad KEPLERVM ibi citatum, ne minimùm quidem dubito, quin pro ingenij summa perspicacitate, conjuncta cum libertate, et veritatis quàm propriarum opinionum amore longè majore, jam porrò persuasissimum habeat, nigrorem illum in Sole visum fuisse unam ex maculis: conjunctionem verò Mercurij cum Sole occasionem solùm praebuisse observationi diligentiori et accuratiori: qua diligentiâ adhibitâ videri potuissent etiam alijs diebus: quemadmodum ex hoc in posterum frequentissimè videri poterunt, jamque plurimis videndas exhibui.

Haec ille anno 1612. Ad quae quid respondendum, quidque in literis hac
30 de re ad ipsum scriptis responderim, lector facile ex proximè praemissis numeris, incipiendo ab 8. conjicere poterit. Nunc ad FABRICIVM revertamur.

15. *De conjunctione Saturni et Iovis, quae accidit anno 1603. Decembri*, litem
† moves in Prognostico non necessariam super uno scrupulo, quo tibi ipsi, totique adeò scientiae praejudicium creas imprudens. Si non prius edendae sunt Tabulae, quam unicum minutum assequamur, nunquam edi poterunt nec tuae, quas ostentas, nec meae, quas tantoperè flagitas. *Gloriaris, quod uno minuto meum calculum superaverit tuus, eâque re meum defectus arguis*; quoties futurum putas, ut tuus vicissim uno, duobus, vel tribus minutis superetur à meo? Ut uterque à coelo? Quid quod incerta est res tota? Non enim coelum, sed as-
40 sertionem meam tuus calculus est assecutus tam prope: ego verò, quod asserui, ex observationibus asserui, quae diem conjunctionis multorum dierum spacio sunt insecutae: potuit in observatione mea, potuit in deductione ejus ad dies antecedentes esse triplo vel quadruplo major error, quàm est hoc dissidium tui calculi à meo.

16. Sed nimirum id ipsum egisti, ut à me responsionem hanc exprimeres sciresque, quae spes esset Tabularum, quo loco Astronomia, utque per in-

directum lectoribus commendaretur mirabilis certitudo et consensus tui meique calculorum inter se et cum observatione mea: quem ego consensum non tam ex meis observationibus raris et crassiusculis, non etiam ex tuis exactissimis (quia quandoque etiam bonus dormitat Homerus), non denique ex posterorum † (qui quam idonei futuri sint incertum est), quàm ex Braheanis, ante restitutionem calculi per 20. annos exceptis, aestimari velim, eoque Ephemerides meditor ad annos 30. exactos, meditor et calculum observationum Braheanarum omnium: quae opera ut et Tabulas ipsas quid promoveat, quid impediat, id ex dedicatione hujus Ephemeridis, exque praefatione mea super Prognosticum Germanicum facilè colligi poterit. 10 †

Interim si rectè mones, diffidendum vitae: demus igitur operam uterque, ut de Tabulis illa quae jam sunt in parato, primo quoque tempore exscribamus: editio verò cuique sua citra alterius praeventi offensionem libera esto: tantummodò ut maturo consilio circumspiciantur omnia editionis commoda et incommoda, in artem inque ejus cultores redundantia.

17. Quae sequentibus Prognosticis *de Lunae motu tetigisti*, de ijs aliquid dictum in fundamentorum Lunarium explicatione praemissa Num. 27. 28. Nunc ex professo examinabo.

Theorema illud tuum:

Tempora durationis deliquiorum Lunarium revera esse breviora, diametrum Lunarem 20 21
minorem quam hactenus est putatum: itaque videri Lunam deficere, quando vel nondum incepit, vel jam revera desijt, sic ut eodem tempore et habeamus eclipsin et non habeamus: quod pro nova et veteribus omnibus incognita observatione celebras.

Hanc assertionem ais te primo levibus suspicionibus animo concepisse, denique per eclipsin Lunarem, quae contigit mense Octobri anno 1613. plenè demonstrasse.

Anno enim 1607. 4. Martij te ais observasse applicationem Lunae corporalem ad oculum Tauri, et vidisse stellam adhuc nondum tectam, quando inter illam et partem Lunae lucidam minus ipsa parte lucida interesse videbatur; atqui Luna nondum plenis 90 gradibus à Sole distabat, itaque pars lucida revera adhuc minor esse debuit parte obscurâ. Hinc colligis, amictum esse globum Lunae sphaerâ aëreâ laxiore, quae luce Solis 30
combibitâ se nobis pro ipso vero Lunae corpore ostentet, parte verò illâ quae est extra Solis radios non incurrat in oculos, sed pellucida sit nec stellarum conspectum nobis eripiat, licet illis subtendatur. Idem confirmas contemplatione Lunae falcatae; circulum enim lucentis cornu sensibiliter apparere majorem quàm circulum residui corporis non illuminati simul tamen apparentis.

Haec est origo opinionis tuae. Quid ad haec verò respondendum?

Commendanda nimirum est diligentia tua; caeterùm nihil novi observasti, saepissimè eâdem de re testatus est mihi olim MOESTLINVS, et retuli ego in Astron: parte optica fol. 217. observationem ex anno 1600. ad unguem similem, † cùm Luna bifida texisset obscurâ parte cor Scorpij. Addidi etiam observationes 40 easdem primae et ultimae phasis, et ampliavi observatione similis apparentiae in eclipsibus Lunae partialibus.

Sed nec opinio haec tua nova est concepta super hoc phaenomeno. Nam eodem libro meo fol. 302. extat. Nec enim planè nihil tribuendum est aëri Lunari, ut suprà in fundamentis motuum Lunae praedixi.

An verò necesse est, ideò etiam haec phaenomena per aërem Lunarem demonstrare? minimè gentium. Si enim omnia, quae oculis accidunt, ipsi coelo tribuamus, quae monstra in rerum naturam invehemus? verte folium allegatum, et invenies plura talia, vel non multum absimilia visus accidentia, quae nullo unquam aëre Lunari demonstrari poterunt. Atque ego id ipsum egi citato Astr. Optices loco, ut haec et alia similia phaenomena ex visus conditionibus deducerem, à coelo rebusque visibilibus abstraherem: in hunc finem susceptus est mihi labor capitis quinti, de modo videndi, quem tandem à me clarissimis demonstrationibus detectum, crebris epistolis, et publicis disputationibus testantur Medici atque Philosophi. Ex illo verò videndi modo sequitur necessitate conclusionum inevitabili, ut talia eveniant oculo, utque species lucidorum appareant ampliatae, licet in re ipsa visibili nihil insit simile.

Cùm igitur causae phaenomenôn, quae allegas, detectae sint, cur nodum in † scirpo quaeris, sollicitus nimis Philosophus? cur, quasi nihil sit à me demonstratum, nihil tibi crebris epistolis ex me quaerenti responsum, has visus fallacias silentio praeterivisti? Si causae intus in oculo suppetunt plurimis aptae phaenomenis, cur in coelum ascendis, Lunae camisiam induis, unius alteriusque phaenomeni causâ, sed quae in alijs quàmplurimis demonstrandis nulli est usui? Et apertè pugnat cum illâ causâ mea Lunae falcatae observatio fol. 344. libri allegati relata. Quin imò FABRICI te ipsum implicas, dum causas coelo ipsi niteris transscribere, fallacias visus non obscurè allegans. Nam cur hic Telescopij meministi? cur *interpositione illius diversum apparere asseris circulum partium, et lucidae et obscurae unicum et perfectum?* Si causa phaenomeni in re inest, apparebit illa tam per perspicillum, quàm sine illo. Cur addis, *corpora luminosa per tenebras majora videri, quàm in luce?* Nonne id verum est etiam de terrestribus, quae ipsa in se ipsis nec augentur nec minuuntur? Sed nihil magis irritat, quàm quod subjungis, *illam extuberationem lucis in cornu Lunae separari à Lunâ per instrumentum visorium.* Si de coelo loqueris, impossibilia statuis; sin de oculo, nihil est verius. Qualis enim pictura rerum in tunicâ retiformi, talis est et visio illarum rerum; sed in picturâ retiformi verissimè extuberant lucida, locumque justo ampliorem occupant, seu vitio oculi et confusione picturarum vicinarum in communem limitem praecellentibus lucidis: sive etiam naturâ lucis et spirituum; qui ut luci cognati contactu veluti partium picturae lucidarum exciti sese dilatant in retiformi. Hoc ipsum si et tu vis, habes me laudatorem tuae sententiae strenuum: sed interim tuum ipsius theorema destruis, *aërem Lunarem illuminatum videri nudis oculis, perspicillo verò non aërem, sed ipsum Lunae corpus.*

Sed audiatur plenior demonstratio tui dogmatis. *Anno*, inquis, *1613. 18. Octobris stilo veteri circa finem eclipsis Lunae, cum nudis oculis deficere censeretur abesse digitus, per telescopium Luna tota illuminata et rotunda apparuit. Ergo limbus, qui nudis oculis deficere videbatur, erit aëris Lunaris limbus, supra Lunae corpus, quod jam extra umbram erat, extans.* Et pinxisti sententiam tuam in hunc modum, repetisque picturam etiam in Prognostico anni sequentis 1617. cujus similem † ex reliquijs typographiae PETRI APIANI hic exhibeo.[1]


22 Observator bonus et diligens es, observata haec tua in dubium vocanda sunt minimè. At num verè concludas vereque pingas, id videndum. Id quidem ego

38) deficere fehlt


nego, nihil enim sequitur, cùm causae multae esse possint, cur visus sit Tibi defectus oculis nudis, non sit visus perspicillo.

Possem dicere, cùm posterius adhiberes perspicillum, interim, dum quaeris Lunam collimando, illam ex umbrâ exijsse: possem etiam contrarium, nudis oculis Te non defectum, sed saltem debile lumen vidisse partis illius, quae proximè umbram stabat.

Pictura Lunae sinistra in umbra, de qua inferius ago, non est Fabricij, sed illa foris.



Pictura Apiani



Quòd enim quibusdam, adeòque etiam mihi, qui debili visu fruor, Luna defectura satis diu ante verum initium suspecta est de initio, ejus rei causa sita est in penumbra Terrae, quae partibus Lunae ad umbram appropinquantibus eripit potissimam partem radiorum Solarium, relinquit nonnisi parum aliquid. Tunc igitur quae minus illustrantur, minus etiam movent oculum, minusque in illo sese diffundunt. Deficit igitur non aër circa Lunam, sed vitiosus ille limbus picturae retiformis in oculo, seu potius vigor ejus in movendo visu. q Vide supra observationem Eclipsis anno 1616.

Sed missis his, utamur tuis ipsius verbis, quae proximè praemittis, sic scribens: *pars obscurata Lunae coelo sereno per hoc telescopium facilè cerni potest, quippe quae aliquid tamen luminis habet, non penitus tenebrosa est.* Haec tu de ijs Lunae falcatae partibus, quae sunt penitus involutae nocti, qua illas involvit opacitas globi sui proprij, cujus pars sunt: quo multo magis ego possum usurpare de partibus ijs Lunae deficientis, quae licet sint in nocte, quam globus Terrae à longissimo intervallo erigit, sunt tamen in radijs Solis refractis: aut de ijs, quae jam veluti quoddam diluculum sentiunt.

Nam cur non videatur perspicillo pars Lunae deficiens, quae nequit videri oculis nudis? cum pars licet deficiens sit tamen ex visibilibus, et sit insigni rubore picta? cùm ea natura perspicilli sit, ut quae debiliter viderentur, videantur fortiter? Nonnè rectè fecero, si Tibi Germano, diligenti quidem observatori, sed indulgenti tuis opinionibus, GALILAEVM Italum opposuero, qui in usu de quo agimus, Telescopij caeteris plerisque ducem se praebuit. Verba ejus de eclipsi Lunae anni 1610. 30. Dec. extant in ejus Epistolâ, praefixâ meae Dioptricae: *Meta umbrae indistincta, confusa, et veluti obnubilata apparuit, causa, quia consurgit umbra à Terrâ longissimè à Lunae corpore.* Haec ille: quae potuisti legere indeque discere, limbum illum Lunae à Te visum fuisse quidem in umbra, sed, quae erat diluta luce secundâ. Non sequitur igitur, *videtur limbus per Telescopium, ergo non est in umbrâ.*

Aliud firmamentum affers ex alia observatione: *limbus partis obscuratae in eclipsi minimâ non potest nudis oculis cerni, cum tamen nudis oculis cernatur et aestimetur Lunae defectus. Ergo id quod deficit, est tunica illa aëria Lunae, luce suâ tegens Lunam totam extra umbram existentem, et dependens ulterius veluti infrà pedes Lunae, sic ut delibari ab umbra et quasi praescindi possit, illaesis illius veluti pedibus.*

Nam si limbus veri corporis Lunae manens extra umbram non tegeretur à tunicâ lucidâ, et si ex illa tunicâ sese exereret ulterius in umbram, posset à nobis videri etiam in umbrâ nudis oculis: non caret enim corporis limbus suo rubore valdè conspicuo, etiam cùm in umbra est: et videri potest in profundam umbram ingressus, cur non videretur in umbrae extremo? |

23 Respondeo: cur et non videatur nudis oculis limbus jam verè deficiens, et cur pars residua Lunae adhuc lucida videatur latior quàm est revera, causa est eadem, sc. propinquitas lucidorum et obscurorum: et confusio picturarum in unum locum oculi, superante lucido.

Nam cùm limbus corporis deficiens pingatur suo loco in retiformi tunica per ruborem suum residuum, corporis vicina pars luminosa debebat etiam in retiformi tunicâ pingi proximè illam, sed suo loco tantùm. Pingitur autem ulterius, et superpingitur picturae limbi deficientis radijs vitiosis. Aut licet non dilatetur pictura per vitium, tamen spiritus etiam is, qui est in parte picturae obscuri, sentit per contagionem lucem vicinam, eoque non sentit picturam obscuri ut debiliorem. Ita in oculo sensio tegit sensionem, nequaquam in coelo camisia aëria Lunam. Et instrumentum visorium potest delere sensionem vitiosam, detergere quasi villos illos lucidorum, ut sit sensio emendata; in coelum ipsum nihil potest.

Sed hoc potest proferri popularius. Cùm Lunam aspicimus, totam simul cum bona parte aëris nostri illustrati videmus, obruuntur à luminis copiosi conspectu oculi. At si utamur perspicillo, minima Lunae pars unâ vice per perspicillum admittitur tantoque minor, quantò nobilius est Telescopium. Ita fit ut non sint in tantâ claritatis differentiâ partes pauculae per Telescopium simul inspectae, in quantâ sunt partes Lunae, deficiens et luminosa, nudis oculis inspectae simul. Tollitur igitur Telescopio impedimentum claritatis, quae nudis oculis vicina offuscat. Ut ita non sit opus corporale tegmen ipsi Lunae in coelo obtendere, idque ad primam applicationem Telescopij tollere. Si limbus ille Lunae reale quid est, aër nempe circa Lunam, quod valet etiam ad oculum nudum movendum, juxta ipsum Lunae corpus: qui fit igitur, quod res illa, aër ille, inspicientem per perspicillum penitus latet? si tantae claritatis est limbus, seu tunica potius aëria, ut etiam verum corpus Lunae, totum luminosum, tegat nudo oculo, cur non tegit illud per instrumentum transpicienti? cur anno 1613. videre potuisti trans hunc fulgorem verum Lunae corpus, quod nudis oculis videre non potuisti? Annon ea vis est perspicillo, ut omnia omninò, quae nudis oculis cerni possunt, et majora et clariora et distinctiora repraesentet: ipsas † adeò irides, ipsa parelia, et si quid est simile? Quod ergò perspicillis circa Lunam cerni nequit, id in coelo non est, sed in oculo cùm nudus est, cui praestat perspicillum hoc, ut lucida pars, quae per nudum oculum pingebatur vitiosè et diffusè, jam duplicata refractione factâ, pingatur correctè et castigatè.

Sed ecce observationis copiam, vicinissimam observationi quam commendas; picturam etiam picturae tuae oppositam ad sinistram, qua id quod Tu

ex tua vis elicere, penitus profligatur. Si enim est, quod vis, si nempè in principio et fine totius durationis, libero ipso Lunae corpore, deficit prominens aër Lunaris, idque à nobis videri potest: ergo in principio et fine morae in tenebris, cum tota Luna deficit, videbitur corpus totum in tenebris, circulo suo consummatum, et simul videbitur pars aliqua seu segmentum aërij circuli majoris, foras in lumen prominens, adque digiti magnitudinem lucida, veluti splendor circularis supra capita sanctorum, eritque quasi duarum Lunarum species: Lunam enim totam tenebris immersam cerni posse nihilominus, id et tu ipse recipis. Atqui nihil tale apparet: quamdiu enim aliquis splendor superest, tamdiu deest aliquid rotunditati corporis obumbrati, quod non obumbratum, sed quasi conditum est sub illa parte splendente inque eam insertum.

Non consistit igitur tua speculatio, frustra suspiciones cies *de diminutione corporis Lunae temporumque, quibus durant deliquia:* quod tamen si tibi concessero, cùm necessariò relinquere suo statu debeas parallaxes Lunae, diametrum Solis motumque horarium, quia singula haec seipsis sunt observabilia; si ergò jam jubearis per diminutas durationes extruere theoriam eclipsium: senties brevi, te volare juberi demptis alis.

Quod idem et Te, sollertissime SIMON MARI, considerare velim causasque eorum, quae visui circa observationes stellarum accidunt, in oculo potius, aut in splendore aëris luminosum proximè circumstantis, aut denique in imperfectione vel instrumenti vel modi observandi, quàm in realibus radiationibus quaerere: ut vides à me factum passim in Opticis, praesertim fol. 279. ubi † illaeso mucrone umbrae, causas nihilominus trado lucis in umbra.

18. Tandem in Prognostico anni 1617. efferbuit FABRICIO meo, ut videtur, diu compressa bilis in aliquam iracundiam, puto non aliam ob causam, quàm quia non respondi: ut tandem vel stimulis verborum efficeres, quod tot amicis † provocationibus non impetraveras. Ergo motum Telluris, cor (ni falleris) et animam meam, incursas magno molimine, verba mea, suppresso tamen meo nomine, ex Commentarijs de motibus stellae Martis, quibus ad objectionem quandam respondeo, in scenam producta joco traducis, quo etiam sanctum Dei virum intexuisti. Possem, si piè possem, contrarium jocum regerere, cùm non tantum in motu Terrae, quod vult COPERNICVS, sensus oculorum (ad quem non scriptura tantum, sed ipsi adeò astronomi sermonem attemperant) a reipsa differat, sed etiam, quod tu cogeris fateri, *in medio coeli, in plaga occasus per urbes et valles Palaestinae* | *descriptâ, in casu denique et ascensu Solis,* quae omnia sunt ad 24 visum certi hominis vera, per se vera non sunt remotâ consideratione visus. Nonne tu ipse tertia periodo superiùs negas *Terram niti columnis,* quod scis affirmare Scripturas ad literam? At non placet mihi tecum, qui astronomus celebris es, de communibus istis, quae ne Theologus quidem satis cum dignitate moverit, vitilitigare: frustra exarsisti, non tantum, quia nihil ego responsurus sum, sed etiam, quia nihil tu proficis apud philosophos, qui plerique post sidereos GALILAEI nuncios jam dudum (ut nuper quidam tui similis Antiennosigaeus verè scripsit) Copernicoturiunt. Adi et audi COPERNICVM, RHETICVM, MOESTLINVM, ORIGANVM, et meae Epitomes Astronomiae librum primum, si quando Bibliopolae, qui sumptus facit, editionem ejus maturare placuerit. q Prodijt anno 1617. Autumnalibus.

19. Denique de fluxu et refluxu maris novam proponis opinionem; in qua laudo temperamentum ex modestiâ et libertate philosophicâ, quarum illam praefando hanc disputando demonstrasti: quippe cùm invidiam agnosceres eos comitantem, qui temerè desciscunt à veterum placitis; nihilominus tua nova veteribus contraria forti animo proposuisti. Quod verò sententiam ipsam attinet, *Causam, cur senis horis affluat Oceanus, uno horae quadrante stet dubius, senis refluat, rursumque quadrantem interponat, esse petendam ex occulta vi septenarij: et quatuor horarum quadrantes, quieti interpositae datos, efficere ut fluxus die sequenti redeat unâ horâ serius, nullas hic vires esse Lunae tardius occidentis:* Hic tu nullo modo neque veterum hac de re doctrinam destruis, neque novam tuam philosophis approbas. Nam quid habes quod opponas veteribus, nisi hoc unicum, *non omnibus littoribus respondere Lunae ortibus et occasibus fluxum et refluxum maris?* At † saltem illa ponderasses, quae in Commentarijs Martis hac de re disputavi: vidisses sufficere, ut erigatur cumulus aquarum sub perpendiculo Lunae in medio Oceano: à lateribus undae, quantum et qua possunt, tendant ad hoc ipsum veluti concilium Lunâ interim praetereunte: et discedente illâ è perpendiculo loci unius, cumulus ille rursum subsidat: reliquas varietates praestant varij recessus littorum, ut in sinus reconditiores tardius relabatur fluxus. Tua verò causa, quam stabilis, non sapit ullam philosophiam rationalem, sed Pythagoricam septenarij superstitionem, quae ab ociosis, ut cento mendicantis ex diversicoloribus pannis, sic ipsa ex diversissimorum generum exemplis nullius cognitâ causâ est consuta. Quin ne hanc quidem observationis rationem hic exprimis. In illa enim, quae numerantur numero septenario, sunt omnia discreta invicem, ut dies, ut Lunationes, ut aestates, et si qua similia: quarum rerum numeros non fortuita divisio, sed natura ipsa vicissitudinesque conspicuae suppeditarunt. Tui verò septenarij subjecta, horae inquam diei, quibus naturae metis, quo visus aut tactus discrimine sunt ab invicem diremptae, ut sint † numero 24. in una die? Nonne EPIPHANIVS pari nobiscum libertate diei noctisque horas fecit non 24. sed duodecim? Nonne haec est vulgata divisio Assis apud Romanos, illata ab ijsdem et in Palaestinam? Etsi fieri potest, ut haec divisionis ratio primum orta fuerit à naturali quidem sed imperfectâ divisione anni in 12. lunationes, unde et Astronomi Zodiacum perfecta ratione partiri caeperunt in 12. Signa. Non tamen neque Signum, multoque minus semissis unius signi est integrum aliquid, suaeque naturae metis circumscriptum, et à reliquis sibi cohaerentibus diremptum, neque hora diei definitur ortu vel unius vel dimidij signi: solo numerantium arbitrio constat hic horarum in die numerus. Nam Lunae si tibi incidet respectus (quam tamen despexisti in refluxu maris), illa collatis suis cum Sole motibus diem non in 24. sed in 30. circiter partes secat: ut proportio sit diei Solaris ad Lunarem, quae 29. ad † 30. seu accuratiùs, quae 57. ad. 59. Vel ex PLINIO disceres, illam non Asses, *sed dodrantes semuncias adjicere diei*, quantum et refluxus adjicit, quod Nautica gens crassiori Minerva horam appellat. Et ut concedam tibi, sic ab invicem sejunctas esse has 24. diei horas, ut sunt totidem oves eadem semita pergentes, quarum unicuique suum caput, sua cauda; quo igitur exemplo, qua ratione, quo jure tibi vicesima quinta hora non ipsa, sed quatuor ejus quadrantes augent numerum? Haeccine tua nova et admirabilis quidem est Arithmetica sex cum quadrante esse septem? Viden' ut somnies, FABRICI? Quare expergiscere, et hujusmodi phantasmata, tenebrarum soboles, si posthac occurrerint, vigilans

lumine mentis lustra; si tibi fidem poscis à lectoribus motum Terrae confutanti.

Quod superest, hanc responsionem meam aequi bonique consule: neque te poeniteat, Ephemeridis hujus vestibulo inseri, de cujus fide nemo teipso rectiùs poterit judicare, si volueris, diligentiamque hactenus usurpatam ad observandum attuleris. Hac igitur inter primos fruere, coelum et meteora confer, errores, si quos liquidò deprehenderis, mihi detege, meque et hac et quibus alijs poteris rationibus in emendando Tabularum opere publico sedulò adjuva.

Vale. Lincij Cal. Octob. Anno 1616.[1]

25

DE IIS, QVAE IN HAC EPHEMERIDE NOVA ET HACTENUS INSUETA RATIONE DIGESTA SUNT

I.

DE ORDINE PLANETARVM IN HAC EPHEMERIDE

Non existimo futurum quemquam, qui adeo steriles et vacuos ab utilibus inventionibus reputet labores meos astronomicos, ut hanc etiam novitatem à me inanis solùm gloriolae causa affectatam credere velit, quod Solem non ut antecessores in primâ columna, sed medio loco inseruerim. Rationes tamen, quas habui, explicabo, quas ubi perpenderint lectores, novaeque formae secundum eas experimentum ceperint, eorum ego judicio, si id rescivero, in sequentibus Ephemeridibus libenter stabo: res enim non est magna.

Primùm concinnum et utile videbatur, dare Solis columnae locum illum inter planetarum columnas, quem Sol vulgari hominum notitia obtinet inter planetas, ut sic oculari etiam intuitu distinguerentur superiores ab inferioribus, interjectu Solis, essetque, ut in superioribus, sic et in inferioribus, numero utrinque ternario, facilior distinctio medij ab extremis, etiam non inspectis frontibus, quae, ubi quinque deinceps compaginati sunt, non ita facilis est. Deinde Solis motus tribus cyphrarum ordinibus describi caepit, quod non duxi negligendum. Atqui ad oculum patet, pulchrius id fieri, et veluti Architectonicè, si Solis illa triplex numerorum series, veluti singularis et striata columna, locum occupet medium inter caeteras, aequali numero latus utrunque claudentes. Tertiò facit eodem, quod Sol caret latitudine, cùm reliqui singulas habeant latitudinis columnas. Quartò Caput Draconis, lunaris theoriae instrumentum, in hac dispositione adhaeret suae Lunae, et tamen, ut hactenus, ultimum planetarum agmen claudit, quippe spurius ipse planeta. In ORIGANO, qui lunares motus ex gemino calculo struxit, necessitate instituti, nactum est monstrum hoc retrogradum locum valde invidiosum, in ipso prope paginae vestibulo. Quintò magis seria ratio est, quòd plurimum conducit ad motuum conditiones quolibet mense perpendendas, ut spectentur planetae consequentes inter se mutuò illo ordine, quo ordine, ut plurimùm, veloces et tardi sunt. Sexta privata mea ratio est, quòd cum motu Solis vero in omnibus planetis indigerem, faciliùs illum ex medio ad latera transtuli, quàm à sinistris ad dextras, trans omnes planetarum columnas. Affinis est septima, quòd aspectus, novi praesertim, | in hac dispositione longè facilius indagantur quàm in antiqua: quod igitur mihi Ephemerida scribenti commodum fuit, id in transcriptione novo cum labore sed inutili immutare nolui. Adde enim octavò, quod nullum ne minimum quidem impedimentum ex hac transpositione et diremptione luminarium oboritur, cui non jam antea lector astronomiae studiosus in ORIGANO, et longè quidem difficilius, assueverit.

II.

DE PLANETARVM LATITVDINIBVS

Jam quod numeros ipsos attinet sinistrae paginae, in longitudine quidem nihil mea forma à prioribus Ephemeridum scriptoribus variat; Solis enim motus per gradus, minuta et secunda descriptus est, triplici serie, ut apud

LEOVITIVM, MAGINVM, EVERHARDVM, ORIGANVM, caeterorum † duplici, graduum sc. et minutorum; in latitudine verò, quod LEOVITIVS coepit, foeliciùs illo nî fallor, sum imitatus, adjungens cuique planetae suam die qualibet; ille quidem latitudinis et longitudinis columellis constitutis, inter se per omnia similibus, conturbavit lectorem, imposita necessitate fastidiosissima, respiciendi toties ad frontes: Ego contrà, latitudines à longitudinibus vicinis distinxi lineâ subtiliori, charactere minori, cellulae angustiâ, et notationis formâ; minuta enim sola cellis inserta sunt, gradus (qui tardiùs variant) vel superpositi in frontibus, majori charactere, vel interpositi, praeterquàm in Lunâ, quae latitudinis gradus variat in dies ferè singulos; quare hîc tam gradus in cellâ sunt, quàm minuta, vicissimque Capitis Draconis sola minuta, cujus etiam columella non aliâ ratione à Lunae columellis est dirempta, quàm aliàs columellae latitudinum, ut vel ex notationis formâ intelligatur, non ipsum planetam esse, sed tantum ad latitudines Lunae referendum.

Porrò cujus plagae sit quaelibet latitudo, id usitatâ viâ frontes indicant, literis S. M. quarum illa Septentrionalem, haec Meridianam latitudinem indicat: vel si mutatur plaga, literae suis locis in columnis planetarum reperiuntur inter lineas insertae.

Sed neque literas A. D. quarum illa ascensum planetae indicare debet à meridie in septentrionem, ista descensum à septentrione in meridiem, omittendas censui, quanquàm ferè supervacuas. Ego enim latitudines ad dies singulos exhibeo, quarum series id foelicius indicant, quod indicare debent istae literae. Nam si meridiana latitudo minuitur, aut septentrionalis crescit, planeta ascendit in septentrionem: sin autem minuitur latitudo septentrionalis, aut si augetur meridiana latitudo, planeta descendit in austrum. |

III. 27

DE SYZYGIIS LUNAE CUM PLANETIS, ET TABVLA ASPECTVVM

Dextra facies habet aspectus et configurationes planetarum inter se et cum Sole, nec non et alia nonnulla planetarum accidentia.

Hanc autem faciem in duas Tabellas subdividere visum est, quarum prior exhibet aspectus Lunae cum planetis, antiquitus notos, posterior aspectus planetarum inter se, levium quidem et inferiorum, quorum celer est motus, singulorum columellis singulis, ponderosorum verò, hoc est superiorum, qui rarius inter se configurantur, unâ communi columnâ. Triplex igitur est ratio notationis: Lunares enim aspectus cum planetis notantur nudis characteribus; subintelliguntur enim Luna et Planeta ille, qui columellae cujusque characteris est impositus: Inferiorum cum aliquo ex superioribus aspectus notatio fit per characterem aspectus, et characterem superioris, subintelligitur enim ipse etiam inferior columellae impositus: Superiorum verò binorum configuratio inter se mutuò notatur tribus characteribus. Interdum usu veniet in concursu multorum aspectuum, ut aspectus suâ cella ob angustiam exclusus inveniatur in columella, cui non inferior, sed superior sit superpositus.

Discriminat utramque Tabellam columella separata, exhibens Lunae Phases, et quoties illa in nodos aut in apsides eccentrici soluti incidat.

q Quid hic variet Ephemeris anni 1618. dictum est in praefatione ad Lectorem. Phases enim Plenilunij ○ et Novilunij ● contingunt iisdem momentis, quibus ☿ et ♂ Lunae cum ☉, et serviunt utrisque iidem numeri. At Phasis
† dichotoma ☽, prima sc. quadra, contingit 4. circiter horis ante □ ☉ ☽, et altera ☾, seu secunda quadra, 4. horis circiter post □ ☉ ☽ et hoc, si utar proportione orbium Solis et ☽, quae est 30. ad 1.

Hanc rationem, quae nonnihil habet novitatis, non sine maturo consilio sum secutus. Primùm enim confusio plurium aspectuum in unam diem apud caeteros scriptores confusionem etiam parit in oculis, et animo lectoris, non rarò
10 etiam scriptoris et Typographi, adeò ut saepè characteres perperam permutentur, non rarò aspectus non contemnendi omittantur, ut plurimum à linea diei propriae exclusi rejiciantur indecorè ad calcem. Deinde plures ego sequor species aspectuum, confusio mihi multò major fuit oritura. Tertiò non Luna, sed Mercurius, et post illum superiores, suo quilibet ordine, gubernant mutationes aurae mutuis configurationibus. Cùm igitur Ephemeridis nobilissimus
28 omnium sit finis Praecognitio Tempestatum, seu mutationis aurae: causas ejus genuinas aliquantò distinctiùs, quàm hactenus usitatum, ob oculos ponendas esse sum arbitratus: ut sic rectissimè agnoscerentur defluxus leviorum à radijs praecedentium ad radios sequentium vicinos, vel contra: quas Astrologi Porta-
20 rum Apertiones dictitare consueverunt.

Porrò haec dispositionis aspectuum concinnitas impulit me in facinus, quod quantum fieri potest excusandum, et contra censuras immaturi judicij muniendum video.

† Quicunque hactenus Ephemeridas scripserunt, REGIOMONTANVS, STÖFFLERVS, PITATVS, REINHOLDVS, STADIVS, CARELLVS, MAESTLINVS, MOLETIVS, SCALA, EVERHARDVS, omnes ij horam cuique aspectui Lunae cum planetis, quidam etiam horae minutum adjecerunt, ut CYPRIANVS LEOVITIVS, MAGINVS, ORIGANVS. Ego verò nudos aspectus posui, sine numeris horarum et minutorum indicibus, praeterquàm
30 in columella Phasium Lunae. Excusationem quidem privatam omissi hujus laboris jam praemisi, angustiam folij, per quam fieri non potuit, quin aut hanc numerorum multitudinem excluderem, spacia aspectuum Lunae coarctarem, aut praecipuos aspectus planetarum inter se in confusione antiqua relinquerem, eandemque novis aspectibus accedentibus majorem etiam facerem. Atqui illud potius mihi faciendum arbitratus sum, quàm hoc. Nam si, seposita utriusque rei utilitate, nudae solum res cum rebus conferantur, an non iniquum videatur, Lunae aspectus cum singulis planetis singulis exhiberi columellis distinctim; Mercurij aspectibus cum planetis omnibus superioribus ne unicam quidem concedere columellam separatam; cum tamen ij possint quandoque superare
40 in uno mense numerum aspectuum antiquorum Lunae cum uno planeta?

Sin autem ad usum utriusque rei descendamus, de planetarum quidem aspectibus mutuis jam dictum est, cur distributio eorum in columellas omitti nec possit nec debeat: de lunaribus verò Syzygijs facile quis probaverit, etsi nullum impedimentum obstaret inserendis numeris horarum et minutorum, ultrò omittendam esse superfluam illam diligentiam, cùm nulla planè appareat tam exactae scrupulositatis utilitas. Nam neque juvantur astronomi, cùm non soleant observari: minimum enim aliquid ad mutationes aurae subitaneas conferunt aspectus Lunae, quia tardius pluviosa constitutio cum perfecta tranquillitate com-

mutatur, quàm aspectus Lunae cum aspectu alio, stimuli hi neque fortes sunt, propter celerrimum Lunae transcursum, neque insoliti, sed perpetua serie sibi succedentes, eoque inefficaces ad excitandam naturam: in toto anno paucissimi dies occurrunt aspectu Lunae carentes: ac etsi quandoque acervantur in unam diem seni Lunae cum planetis sex, quod non nego proficere ad impellendam naturam, ij tamen non per horas et minuta sua, sed tractu longiore temporis, viriumque confusione pro|ficiunt, fitque hoc nonnisi planetis ipsis inter se 29
proximè conjunctis aut configuratis: ubi planetarum potius aspectui acceptus fertur effectus, quàm Lunae cum planetis. Demus verò hoc Astrologis, tribuendum esse aliquid defluxibus Lunae à radio unius planetae ad radium alterius; 10
et interesse ad mutationes aurae, qui praecedat, qui sequatur: at id perfacile patet vel sine numeris horarum ex intuitu primùm ordinis ipsorum characterum in parte dextrâ: deinde, si plures in eandem incidant lineam, quantulae est operae, oculos ad sinistram transferre, motusque ipsos intueri? Nam planeta, qui in paucioribus est gradibus sui signi, prior excipit Lunam aspectu, qui in pluribus, posteriùs; cùm Luna semper sit directa longèque velocior caeteris omnibus.

Restant igitur solae Electiones, res totius Astrologiae vilissima, tantòque magis neglecta, quantò magis lux veritatis in rebus physicis et astronomicis exoritur. Haec illa unica Diva est, cui sacellum hoc, aspectuum ad horas et 20
scrupula computatorum, extruxerunt Artifices.

Etsi verò Electiones medicinales non carent ratione, rarissimè tamen observari solent vel possunt. Quotusquisque medicorum est hodie, qui horam aspectus, ne de minuto dicam, eligat ad Venae sectionem, aut ad potionem exhibendam? Nonne matutinum tempus imperant, quoties id teneri potest? Cùm verò periculum est in morâ, nullum illi aspectum, nullam diei notam infaustam morantur. Et tamen in Venae sectione, si non consultus, saltem excusatus adhuc est usus Electionum doctrinae. Cui adde, si placet, Chymiam et Agriculturam. Excusatum inquam habebo, si quis horâ electâ secundum aspectus Lunae metallum liquat, spiritus vegetabilium elicit, semen terrae, termitem scrobi, sur- 30
culum trunco inserit, rem ipsam naturae juribus non defendam. Nihil enim situm est in principio tui operis manuarij, nisi simul etiam natura ipsa, quae longè solet esse tardior, inque temporis spacia longiora diffusa, principium faciat operis sui, vel consummationem potius. †

De mineralibus etiam et metallis, quae viva utique non sunt, quaerere soleo, sintne ut plantae, ut corpus humanum, coeli capacia?

De characteribus certè conclusum penes me est, frustra esse, qui sculpendis ijs, qui fundendis metallis insidientur aspectibus Lunae per horas et minuta, ut *ἀπόσπασμα* quoddam coelestium configurationum per hos characteres in lapides et metalla vitae cassa invehant et, quod ajunt, Mundum maritent. Nam 40
non possunt huc trahi geneses, ut in quibus vitae flamma noviter incensa et flagrare incipiens non ante extremum hominis spiritum extinguitur: quae quod primum de coelo imbibit, cùm sit actus non nudi corporis, sed Animae, coelestis rei, id toto durationis suae tempore retinet. Sed habeant haec omnia, ut jam antea dixi, suam excusationem. |

In caeteris verò vitae usibus, in sumenda veste, in auspicando itinere et 50
similibus, quis hodie ferat superstitiosum articulorum temporis observatorem?

Nam Quaestionariam Astrologiae partem, Arabum Indorumque inventum, dudum est cùm omnes unanimi calculo Christiani Astrologi rejectam inter illicita
† sortilegia damnarunt.

Quòd si tamen omnia hactenus commemorata secundùm astrologorum praecepta examinentur, apparebit profectò, neque judicium tempestatum de quadris fieri, neque venam secari, neque potionem exhiberi, neque plantam effodi, neque ignem incendi, metallum liquari, in formam infundi, gemmam sculpi, neque ad quaestionem responderi, aut quicquam horum omninò rectè et ex arte (scilicet) fieri, nisi praeter aspectum Lunae propinquum etiam horoscopus
10 conveniens vel eligatur, vel oblatus inspiciatur. Itaque praecepta ipsa superstitionis hujus aspectus Lunae cum latitudine sumunt, horas et minuta negligunt; nec sanè sine causa.

Nam quid ego nunc dicam de hujus calculi incertitudine in omnium antecessorum Ephemeridibus, qua factum, ut saepe plus nocerent intento eligentium, quàm si horam omisissent. Die 10. Februarij anni sequentis hora 9. antemeridiana erit ✶ ☿ ☽, quem MAGINVS ponit H. 6. 25. pomeridiana; quanto bellius habiturus, si nullam horam addidisset? Haec adeò causa est, ut, si maximè horam satis praecisè possim exprimere, correcto calculo, minuta tamen etiamnum negligenda suadeam, propter ea, quae in explicatione fundamento-
20 rum Lunarium dixi.

Cum igitur propter hunc defectum experientia nulla possit allegari pro observatione horarum et minutorum, nec veterum praecepta huc ducant: sequitur, usum penitus nullum esse scrupulositatis hujus. Sed ne quidem esse multos puto, qui illâ seu scientes seu errantes, uti velint: adeò quidem, ut cùm quotannis ultra sexcentos aspectus Lunae cum planetis ad horam et minutum in MAGINO et ORIGANO extent computati, vix reperias sexcentesimum quemque, qui toto anno vel unius illorum horam sibi deligat obeundam. Apage occupationem stultissimam, ut unius cultelli vendendi causa vehes plenas cum tanto sumptu asportemus, venumque exponamus.

30 Nam sequitur, ut etiam de incommodis dicam hujus scrupulositatis. Primùm labor ingens est, sexagenos propemodùm in singulos menses computare aspectus, perinde quasi nihil antea sudatum fuerit in computandis singulorum planetarum locis: qui labor cùm ingenij parum habeat admodum, cerebrum tamen fatigat, ardorem animi taedio retundit, tempus, pretiosissimam rem, occupat, nec ulla spe cognitionis fructusve solatur. Deinde typos vehementer moratur haec horarum et minutiarum repraesentatio scrupulosa. Tertio aspectus ipse tot Cyphrarum hinc inde disseminatarum perturbat lectorem paulò morosiorem: nec rarò videas seduci Prognostas, qui taedio horae inspiciendae aspectum eo
31 die ponunt, quo die cha|racterem ejus inveniunt, licet hora adjuncta illum
40 applicet propius meridiei sequenti.

Nec desunt mihi celebriorum Mathematicorum exempla, restringentium hanc curiosam antecessorum *περιέργειαν*. CYPRIANVS, MAGINVS, ORIGANVS scrupula ipsa aspectuum exquisiverunt. Venit EVERHARDVS, et quamvis novas Tabulas professus, redijt tamen ad horas integras. Sic cùm idem MAGINVS, CARELLVM aemulatus, curiosissimè toto opere adscripsisset ortus et occasus planetarum cum fixis, non censuit tamen ORIGANVS idem sibi esse imitandum. Sanè nec REGIOMONTANI, qui primus moris author,

STÖFFLERIve consilium hoc fuisse videtur, ut adeò scrupulosè momenta constituerent aspectuum: saepius enim crassè adscriptae sunt ab ipsis horae. †

At non tamen in solidum omisi temporis praecisionem, id maximè propter medicinae usum et Dies Criticos, rem cumprimis miram et observatione dignam. Omnes enim aspectus Lunae ad quartas diei suae sunt assignati. Versus quidem, qui diei numerum habet in margine, index est diurni temporis, seu horarum sex ante, sex post meridiem, punctum autem aspectui vel praefixum vel postpositum, index est meridiei sub meridiano Huennensi: Spacia verò inter binorum dierum versus signant tempus nocturnum, seu nigram lineam habuerint, sive eâ caruerint. Itaque si character aspectus fuerit in versu ipso praescriptae in margine diei, et punctum ad ejus dextram sic |△.|, significatur aspectus incidens in quartam diei antemeridianam, sin punctum fuerit ad sinistram sic |.△|, aspectus notatur in quadrantem incidens pomeridianum. Quòd si aspectus nota parum exorbitaverit à versu diei suae, si sursum, significatur, illum incidere in quadrantem post mediam noctem antecedentem; sin deorsum, in quadrantem qui antecedit mediam noctem sequentem. Nunquam enim character praecisè medium obtinet inter duos versus duorum dierum, semper alteri eorum propior est. Hanc dispositionem puto omnibus fore gratam, qui electionibus utuntur; quòd diurnae plerunque sint electiones, et verò sic aspectus diurni (vel quasi) à nocturnis ipso situ sint distincti.

Si quis est praetereà temporis adeò prodigus, ut in omnibus inceptis adeòque etiam cogitationibus ad Ephemerida velut ad Oraculum recurrere, nec contentus notatione quadrantum diei horas ipsas et scrupula configurationum Lunae cum planetis exquirere satagat: is unus reliquos omnes, adeòque et meipsum levet labore, hoc etiam adjiciens laboris curiositati suae, ut horam et minutum aspectus ipse pro se computet; quod facile fit ijsdem ferè modis, quibus loca planetarum compu|tantur, in Thema coeleste inserenda. Cogitet, nulla diligentiâ scriptoris Ephemeridum liberari in solidum labore omni curiositatem suam: ad minimum enim relinquitur ipsi reductio aspectus ad Meridianum sui loci: expediat igitur eâdem operâ etiam illud alterum, quod facile fit hoc modo.

PRAECEPTVM DE INVENIENDA HORA ASPECTVS

In meridie, qui antecedit propositum aspectum, vide, quantum Luna, vel alius leviorum, abfuerit à radio vel corpore ponderosi: vide etiam, quantum uterque proficiat ab uno meridie ad sequentem. Quòd si directi fuerint ambo, aut ambo retrogradi, minor diurnus à majori est auferendus; sin alter directus, alter retrogradus, diurni sunt in unam summam conjiciendi, ut scias, quanta fiat eorum appropinquatio in una die naturali. Nam ut haec appropinquatio ad horas 24. sic illa primò explorata distantia utriusque, quae fuit inventa in meridie, ad horas et minuta, in quibus illa absumitur. Operationem absolves vel multiplicando et dividendo per Tabellam Hexacontádon passim obviam, vel excerpendo ex Canone motus Horarij Planetarum, in Ephemeridibus MAESTLINI aut EVERHARDI, aut etiam CARELLI vel MAGINI, quousque hi extenduntur, quaesitâ appropinquatione diurnâ in fronte, distantiâ in cellis, fronti inventae subjectis, ubi margo exhibet horas et minuta: Vel denique utere Practica Italica, uti vocant, ut in hoc exemplo. †

Die 8. Martij, sub titulo configurationum Lunae, in columna ☿ occurrit signum ☌. Cupio scire horam hujus ☌ ☽ ☿. In meridie notatur locus ☽ 2. 57 ♈, locus ☿ 6. 22 ♈. Distant igitur per gr. 3. 25. Hujus vero diei diurnus est in Luna 15. 2. in Mercurio 0. 51. et ☿ directus, aufer ergo hunc ab illo, restat appropinquatio diurna gr. 14. 11.

Ergo gr. 14. 11. valent horas 24
Dimidia 7. 6. valent horas 12
Dimidia iterum 3. 33. valent . . . . . H. 6.
Ergo 3. 25. distantia valet minus quam . . . H. 6.
Nam minuta 14. valent scrupula horae . . . . 24.
Ergo 7. valent sc. 12.
Ergo 8. valent sc. 14. ferè

Cùm igitur 3. 25. sit 8. minutis minus quàm 3. 33. erit etiam tempus 14. scrupulis minus quàm H. 6. scilicet H. 5. M. 46. Tot igitur horis post meridiem Luna Mercurio jungitur in meridiano hujus Ephemeridis, sepositâ jam parallaxi; quae cùm Lunam projiciat in occasum, quippe occidentem; seriùs igitur videbitur Mercurio jungi etiam in meridiano Ephemeridis, et adhuc serius Lincij, quia locus est orientalior meridiano Ephemeridis.

† q Collatio observationis. Mense Martio extat observatio hujus ☌ ☽ ☿ fideliter descripta, quam hic examinabo. Tempus observationis habetur per occasum ☿, quando facta est. Erat autem ☿ in meridie in 7. gradu ♈, cum latitudine 2 plus septent: occidebat ergo cum 8. ♈ circiter, oriente 8. ♎. Locus observationis abfuit Lincio 3. milliaribus germanicis versus septentrionem, ergo fuit Altitudo Poli gr. 48. 30. Est autem Asc. Obliqua 8. ♎ 190. 55. Et igitur Asc. R. Medij Coeli 100. 55. Sed Sol ad horam illam erat in 18. 33 ♓ circiter, cujus Asc. R. 349. 30. Ejus ergò distantia à meridiano erat T. 111. 25. quae faciunt horas 7. 26. Tot horis apparentibus post meridiem in meridiano Lincensi fuit facta observatio. Est autem Uranopyrgi hora 7. 16. apparens, à qua subtraho meam temporis aequationem, quae est Sole in 19 ♓ versante M. 19. ut sit aequale tempus Vraniburgi H. 7. 7. post meridiem, quibus respondet de diurno motu ☽ à ☿ gr. 3. 51. cùm in meridie restarent illi ad ☿ tantum gr. 3. 25. Vero ergò motu Luna jam superaverat Mercurium minutis 26. Sed quia sidera in occasu erant, parallaxis Lunam retraxit versus illam pla|gam in antecedentia. Cùm enim Luna pridiè fuerit in perigaeo, parallaxis altitudinis horizontalis jam fuit circiter sc. 61. 30. Oriente verò 8 ♎ angulus eclipticae cum horizonte est 65. grad. cui de hac parallaxi competunt 55. 40. longitudinis, in ipso sc. occasu; ita Luna horis illis 7. M. 7. appropinquavit Mercurio non gr. 3. 51. sed 2. 55. ad visum, et restabant ad Mercurium sc. 30.

Observatio verò docuit, restitisse centro Lunae ad lineam cornibus Lunae parallelam per Mercurium ingredientem circiter quartam diametri ☽ partem, id est minuta circiter 9. Ergò differt calculus ab observationis tenore minutis circiter 21. longitudinis, quod propter tot elementa, comparationem hanc ingredientia, in quibus singulis minimum aliquid peccari potuit, in Mercurio et Luna mirum esse non debet: Praesertim si pensites, quàm lubricum sit, in ipso occasu montoso, coelo flatulento et turbido, aëre viciniâ Solis splendente adhuc, ducere per imaginationem lineam extremis Lunae cornibus parallelam, ad horizontem

36) hoc 40) ingredentem

inclinatam, et aestimare partem rescissam obscuri hemisphaerij Lunae. In meridie Uraniburgico Luna mihi est in 2. 57 ♈, ORIGANO in 2. 52 ♈ in meridiano suo, quod esset Uraniburgi 12. minutis ante meridiem, itaque ORIGANVS ad Uraniburgicum meridianum exhibet Lunam 7 s. minutis ulterius, sc. in 3. o ♈, tribus solum scrupulis promotiorem quam Ego. Non est igitur haec discrepantia ex errore calculationis Lunae: sed nec ex erroneo calculo Mercurij, nam is repraesentat observationes in situ consimili anno 1591. Februario. Igitur in fundamentis ipsis calculi ☽ Braheani oportet esse residuum erroris, quantum non excusari potest observationis incertitudine.

Placet et latitudines comparare. Fuit Luna in meridie per 2. 51. sept. die sequenti per 3. 54. Ergo hora 7. 7. per 3. 10. Sed cum oriente 8 ♎ Nonagesimus distet à vertice gr. 25. his de parallaxi latitudinis respondent M. 26. quibus ☽ à sept. deprimebatur, ut centrum ejus appareret in lat. gr. 2. 44. sept.

Mercurius vero in meridie habebat lat. 2. 15. die sequenti in 2. 25. Ergò hora nostra 2. 14. Itaque Luna secundum calculum centro suo debuit esse per 30. minuta septentrionalior.

Observatio habet, visum esse Mercurium infra marginem Lunae proximum ad sinistram, minus unâ diametro ☽ distantem. Si Lunae centrum est in septentrione gr. 2. 44. margo ejus meridianus habuit latitudinem 2. 27. Ergò si etiam plenaria fuisset conjunctio longitudinis, ☿ visus esset 13. minutis infra imum Lunae marginem, quod est ferè dimidia pars diametri ☽. At fuit ☽ etiam ante ☿, multò igitur major erat distantia ☿ à margine ☽, praesertim non meridionalissimo; major sc. semidiametro ☽.

IV.
DE NOVIS ASPECTIBVS

In compensationem omissi laboris magni sed inutilis, ego sumpsi laborem alium necessarium, hactenus fere neglectum, exquisitis 1. pluribus aspectibus, 2. congressibus Lunae cum sideribus: quorum illud Meteorologiae, hoc Astronomiae et Rei Nauticae servit; de utroque distinctè dicam.

Aspectus novos tres addidi, ✳ Semisextum, ⚻ Quintilem et ✡ Biquintilem, idque in omnibus planetis, praeterquàm in Luna.

De his novis aspectibus, etsi primùm in Mysterio Cosmographico ante annos 20. deinde in Fundamentis Astrologiae certioribus ante annos 14. et in libro de Stella Nova ante annos 10. rursum in Tertio Interveniente ante annos 7. et denique in Dissertatione cum Nuncio siderio GALILAEI ante annos 6. non pauca disserui: facit tamen nonnullorum cacozelia et supinitas, ut etiam hoc † loco sit aliquid dicendum.

Notent igitur naturae studiosi, tam initia, quàm progressus, inventorum et introductorum novorum aspectuum.[1]

In Mysterio Cosmographico ostendi ex Harmonicis, septem omninò esse 34 divisiones chordae harmonicas, sic comparatas, ut partes tam inter se, quàm cum integra chordâ consonent. Cum his septem divisionibus chordae, quae linea recta est, manuducentibus PTOLEMAEO et CARDANO animadverti † cognationem intercedere totidem divisionibus circuli per applicationem linea-

rum rectarum, quibus figurae regulares inscribuntur circulo; sunt autem hae latus sexanguli, latus quinquanguli, latus quadranguli, latus trianguli, subtensa tribus octavis, subtensa duabus quintis partibus circuli, seu uni angulo quinquanguli, et diameter. Cognationis lex haec est, quòd circulus his septem modis divisus, seu signatus in una qualibet divisione duabus Notis, arcum ejusque subtensam terminantibus, si extendatur in rectum, diremptus in una Notarum, fiatque chorda et supponatur magadium Notae reliquae; partes magadio distinctae et inter se et cùm totâ chorda consonant. Cum igitur harum septem circuli divisionum, respondentium septem divisionibus harmonicis chordae, quatuor sint, quae formant aspectus, ab astrologis observari solitos, scilicet Sexangularis, Quadrangularis, Triangularis et Diametralis, efficientes Sextilem ⚹, Quadratum □, Trinum △ et oppositum ☍: et cùm constans experientia testaretur, figuras has valere ad incitandam naturam sublunarem, quoties duorum planetarum radij talem Zodiaci partem intercipiunt; non minus quàm chordae divisiones respondentes valent ad suaviter demulcendas aures: in hanc opinionem transij, Creatorem aut ex harmonicis rationibus desumpsisse leges ordinandorum aspectuum, aut ad coelestes aspectus attemperasse aures humanas, concordantiarum judices. Inde verò sequebatur, oportere nos plures etiam et omninò septem in coelo observare aspectus, praeter conjunctionem ☌: scilicet etiam Quintilem ⚳, Biquintilem ✡ et Sesquadrum: sicuti sunt in Musica praeter Vnisonum septem aliae voces concordantes cum ima, singulae ex singulis divisionibus chordae ortae: ut ita causa suo effectui adaequetur. Sequentibus annis cùm diligenter attenderem ad dies, quibus tales aspectus contingunt, quoties soli incidebant, animadverti creberrimè, Quintilem et Biquintilem efficaces esse; interdum etiam Sesquadrus sese prodere videbatur. Conclusi igitur, addendos esse tres hos aspectus reliquis, idque ad MAESTLINVM et FABRICIVM perscripsi, et anno 1602. Thesibus de Fundamentis Astrologiae, quibus † illius anni Prognosticon sum complexus, evulgavi. Ex hoc itaque tempore certatim Prognostae his utuntur aspectibus. Sed accidit quibusdam, ut Sesquiquadratum in Semiquadratum mutaverint, seu errore librarij inducti, sive suâ ratiocinatione, sive denique authoritate. Nam cùm ego pro Sesquiquadrato brevitatis causa scripsissem Sesquadrum (quod videbatur sonare Latinius quàm Trioctilis), Typographus alicubi sigma medium omisit, expressitque Sequadrum; et hac voce utuntur hodie aliqui pro Sesquadro. Atqui Sesquadrus sonat Semiquadrum, seu Semiquadratum, ut selibra semilibram, semodius semimodium. Itaque alij decepti Semiquadratos, id est Octiles, com|putant pro Sesquadris, 45. gradus pro 135. Quod cum caeteros monuisset MARIVS in Prognostico anno 1617: extitit tamen Astrologus, qui ut rectè factum constanter tueretur: qui etiam hoc mihi tribuit, ex mea sententia Semiquadrum observandum: quod ego non ex animi sententia, sed saltem ut objectionem scripseram. Scilicet ratio mea jam ex Harmonicis explicata, non satis insedit lectorum animis; itaque velut in supplementum ejus accersunt praecellentiam Semiquadri, sed ex principijs longè alijs. In ijs verò principijs, quae tunc ego sequebar, nullum locum habuit Semiquadrus vel Octilis, hoc est, divisio chordae cognata octangulo. Divisâ enim chorda in 1. et 7. etsi segmentum 1. cum tota 8. consonat, tamen neque residuum 7. cum 8. neque 1. cum 7. consonant. Secus est in Sesquadro seu Trioctili, ubi circulus et ad ejus exemplum chorda

45) chardae

dividitur in 3. et 5. consonant enim tam segmenta 3. 5. quàm totum 8. et cum 3. et cum 5. consonat.

Authoritas verò, cujus tertio loco mentionem feci, MAESTLINI est. Is enim monuit in quadam disputatione de multiplici varietate motuum coelestium, praeter Triangulum, Quadrangulum, Sexangulum, alias insuper esse regulares et pulchras figuras, formandis aspectibus idoneas, eodem cum caeteris jure: ut Quinquangulum, Octangulum, Decangulum, stellam Octangularem, Quinquangularem, Decangularem: quarum figurarum aspectibus nomina facit Quintilem gr. 72. Semiquadratum gr. 45. Semiquintilem gr. 36. Sesquiquadratum gr. 135. Biquintilem gr. 144. Sesquiquintilem gr. 108. et allegat meas observationes astrologicas super tribus. Ex eo igitur tempore sunt, qui non tantum Semiquadros, sed etiam Semiquintiles et Sesquiquintiles prognosticis suis inserant. Haec de initijs hujus considerationis, sequitur de progressu.

Potuit sanè MAESTLINI docta et perspicax admonitio viam praeire ad inveniendas veriores aspectuum causas et numerum. At ego partim mea principia supra explicata ruminando, partim diligenter observando tempestates, vidi tandem, deserendam esse Musicam; ut quae septenarij sui principia nonnulla ex ipsa rectitudine chordae trahit; cùm circulus, in quo notamus aspectus, in seipsum redeat; nec possit, ut ex chordae, sic etiam ex Zodiaci residuo fieri circulus alius. Itaque in libro de Stella Nova, inque reliquis supra nominatis, fideliter monui, de Sesquadro illo, utcunque is à Musica commendetur, nihil certi testari experientiam tempestatum; de Semisexto verò, quamvis illi nulla respondeat divisio monochordi harmonica, offerre se crebras et clarissimas attestationes ultrò, non quaesitas, quippe inopinatas, ultra metas Harmonices, ignoratis initio causis.

Ut igitur et speculationem praemissam emendem, et rationes instituti mei reddam, cur praeter Quintilem ⚳, Biquintilem ✯, et Semisextum ✳ nullos alios novos aspectus inducam: hoc insuper adjiciendum est hactenus dictis; magnam quidem esse cognationem Harmonijs cum aspectibus, eandem utrique generi originem ex figuris nobilibus circulo inscriptilibus; alijs tamen legibus formari septe|narium numerum divisionum Monochordi Harmonicarum; alijs itidem Numerum Aspectuum. Nam in aspectuum constitutione valent causae diversae earumque concursus: quo fit, ut Semisextus quaedam jura, cum Quadrato communia, juribus quibusdam communibus cum Sextili jungat, eaque copia potentior evadat ipso Sextili. Sic Trinus, Quadratus, Quintilis et Biquintilis in prima et validissima causa sunt aequales, cui Trinus et Quadratus secundam non multò leviorem conjungunt, Quadratus etiam tertiam; quare omnium potentissimus est.

Rursum habet Sextilis aliquam nobilitatem communem cum Opposito, habet et aliam communem cum Trino et Quadrato, cujus particula solum aliqua obvenit Semisexto, Quintili et Biquintili; et in hac jam particulâ conveniunt etiam plures alij partim â MAESTLINO dicti: in primo gradu Semisextus et Octilis; in secundo Decilis, Tridecilis; in tertio Quincunx, qui habet gr. 150. et Sesquadrus; in quarto Vigintilis gr. 18. Quindecilis gr. 24; in quinto qui ex horum stellis sunt, ut gr. 54. 126. 162. item 48. 96. 168. Hic finis est aspectuum secundum vera et genuina principia.

18) chorde

Patet itaque, quo jure quis uti velit Sesquadro, eodem jure esse etiam Quincuncem, et multo potiori Octilem; ut verè quidem (hujus solius causae respectu) suprà collegit astrologus; potiori etiam Decilem et Tridecilem: et si usque ad Sesquadri imbecillitatem descendamus, causam nullam esse, quin etiam duos penultimi et sex ultimi gradus adjiciamus. Sin autem Natura delectum habet eorum, qui pluribus sunt instructi praerogativis, et si Prognosta debet Naturam † sequi, denique si, quod est in proverbio, *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη*, utique praetermittens Decilem et Tridecilem, unicâ gaudentes praerogativâ, sed eâ mirabili et ipsorum Geometrarum voce divinâ, omittet etiam Semiquadrum et Sesquadrum, non attento hujus jure in Musica divisione Monochordi, quod ibi habet ob chordae rectitudinem, quippe cùm rectitudinis inter aspectus ratio habeatur nulla: denique omnibus omissis, qui una solâ praerogativâ sunt instructi, numerum aspectuum mecum concludet eundem quidem, quem in Musicâ divisionum Harmonicarum, non tamen omnes illos respondentes suis in Harmonica divisionibus, quippe inter aspectus deerit Sesquadrus, respondens harmonicae sectioni chordae 8. in segmenta 3. 5. quae gignit sextam mollem: inter sectiones verò Harmonicas deest illa, quae totam chordam 12. dividit in segmenta 1. 11. respondens aspectui Semisexto.

Poterunt tamen observare, non omnes promiscuè, non creduli, sed circumspecti et pollentes judicio, poterunt inquam observare Tridecilem seu Sesquiquintilem, 108. graduum, Coryphaeum scilicet inter secundarios, levis armaturae milites. Nam Decilis ejus socius, gr. 36. nimium vicinus est Semisexto forti, gr. 30. eôque et obscurior ejus vis (Naturâ majoribus in propinquo stimulis occupatâ) et difficilior observatio ob dierum vicinitatem.[1]

37 Non dissimulo, jam semel atque iterum mihi tempestates observanti visum esse etiam Quincuncem gr. 150. validum admodum.

q Et ecce hoc anno FABRICIVM in Ephemeride anni 1618. introducentem eundem sub nomine Quadrosexti.

Itaque adjiciendum esset aliquid rationibus hisce, seu potius penitius investiganda stellae duodecangularis natura, num quid nobilitatis et ipsa habeat. Tunc igitur character iste ✳ proprius esset Quincuncis. Sed de his aliâs, si Deus vitam et vires concesserit.

V.

DE REDVCTIONE ASPECTVVM

† Monuit REGIOMONTANVS in Tabulis Directionum, reducendos esse aspectus: sed radios illos solùm intelligit, quos consideramus in Directionibus, quos omnes praesupponit terminari in ecliptica. Quod si, qui hodie fixarum aspectibus utuntur ad indagandas tempestates, ij Solis tantummodò configurationes cum fixis exquirerent, quae statis anni cujusque diebus redeunt: satisfaceret ipsis Tabella Radiationum REGIOMONTANI, et Quadratus aspectus reductione nulla opus haberet. At quia omnium planetarum aspectus inter se et cum fixis intelligunt, ubi plerumque sunt utriusque stellae latitudines inaequales, est ubi et contrariae, non sufficit igitur simplex ingressus in ta-

16) chorda

bulam, nec rem ex animi sententia conficit Prognosta, nisi Triangulum solvat datorum laterum. Sed et mihi opus est hac admonitione, propter aspectus planetarum inter se, quando magnas obtinent latitudines: tunc enim fieri sanè potest, ut aspectus, ipse etiam Quadratus, longè alijs diebus incidant, in circulo magno per planetas traducto computati, quàm si quantitate aspectus constituamus arcum eclipticae, interceptum inter binos circulos latitudinum, per centra planetarum traductos. Et quia Doctrina Triangulorum paucis est cognita aut trita, Tabella etiam Radiationum, cujus meminit Problema XXXI. REGIOMONTANI, deest in exemplari Directionum REGIOMONTANI, quod Tubingâ prodijt anno MDLIX. ablego itaque lectorem hac vice ad ejusdem REGIOMONTANI Tabulam Primi Mobilis, quam etiam MAGINVS in suum opus transtulit. † 10

Nam si altera solùm ex stellis configuratis habuerit latitudinem, complementum ejus quaeritur in fronte, complementum verò radiationum quadrante minorum, vel excessus majorum in area; et quantum area differt à margine respondente, tanta est arcus ecliptici, qui respondet aspectui minori, abbreviatio, tanta ejus, qui respondet majori, prolongatio.[1]

Exempli causa, die 8. Augusti lat. ♀ est gr. 6. 38. M. cupio scire, quantum in ecliptica distare debeat locus ejus à ☉, ut inter corpora sit Semisextus, seu gr. 30. Lat. 6. 38. compl. 83. 22. in fronte et aspectus minoris 30. compl. 60. in area ostendit differentiam marginis et areae M. 41. 0. auferendam à gr. 30. Itaque Sole gr. 29. 19 distante à ♀, erit ♂ utriusque; non igitur 8. sed 9. Augusti. Quod nisi ♀ esset stationaria, sed aequalis ferè cum Sole cursus, posset haec differentia esse dierum plurium. *38* † 20

Quod si uterque latitudinem obtinuerit aliquam, non jam ampliùs servit Tabula Primi Mobilis, si demonstrationum acumen velimus observare; exhibet enim illa Tabula rectangula solum triangula, nostra verò sunt obliquangula. Attamen si consideremus, planetas semper intra metas Zodiaci manere, non valdè abhorrebimus ab errorculis minutissimis, qui contingent nobis, si ad proportionem latitudinum, perinde ac si nobis res esset cum rectangulis planis, accommodemus etiam bases, et sic ex arcu eclipticae, aspectu seu arcu inter planetas, et duabus latitudinibus struxerimus duo rectangula, diviso sc. ipso aspectu, si latitudines diversarum plagarum fuerint, vel ejus residuo ad semicirculum, si ejusdem; et tunc gemino ingressu in Tabulam Primi Mobilis duas reductionis quaesitae particulas excerpamus. 30

Exempli causa sit Lat. ♀ gr. 10. S. ♂ gr. 7. M. et sit inquirendum, quantum distare debeant loca illorum ecliptica, ut ipsa corpora semisexto se aspiciant, seu ut 30. gr. circuli magni intersint. Summa diversarum latitudinum est 17: ut haec ad aspectus 30. quantitatem, sic est ferè latitudo ♀ 10. ad portionem aspectus septentrionalem, sc. inter ♀ et eclipticam gr. 18. paulò minus. Ergò 40

In fronte	In area	Areae et Marginis.
Lat. 10. Comp. 80.	Arcus 18. Comp. 72.	dant diff. gr. 2. 57. 50.
Lat. 7. Comp. 83.	Arcus 12. Comp. 78.	dant diff. gr. 2. 13. 10.
	Summa minuenda de gr. 30.	gr. 5. 11. 0.

Invenimus ergò arcum eclipticae respondentem gr. 24. 49. quem justa trianguli solutio arguit gr. 25. 6. Itaque si duo planetae cum his latitudinibus

fuerint in ecliptica remoti gr. 24. 49. vel correctius 25. 6. tunc corpora ipsa distant semisexto, seu 30. gradibus.

Si latitudines fuerint ejusdem plagae, pro alterutro planeta sume punctum ejus oppositum cum latitudine plagae contrariae; pro aspectu complementum ejus ad semicirculum, eoque complemento diviso in proportione latitudinum, age ut prius, inquirens differentias marginis ab area earumque summam: quae si à complemento aspectus esset auferenda, ad ipsum aspectum erit addenda et vicissim.

Exempli causa recesserint in septentrionem duo planetae, uterque gradus 5. quaeritur arcus eclipticae pro ☆, qui habet gradus 144. Pono alterum in austrum recedere, et distare ab altero gradus 36. residuos ad semicirculum. Additis latitudinibus: ut summa 10. est ad unam 5. sic est 36. ad 18. Ergò sub fronte complementi latitudinis 85. quaero complementum ipsius 18. id est 72. et invenio excessum marginis M. 41. 15. tantundem invenio etiam per alteram latitudinem. Summa utriusque excessus est gr. 1. 22. 30. quod esset auferendum ab 36. est igitur addendum ad 144. ut ita non prius sit inter planetas hac latitudine perfectus ☆, quàm loca ipsorum ecliptica distiterint gradibus 145. 22. 30.[1]

39

VI.

DE FIXIS

Quantum ad fixas attinet, in hac Ephemeride pro Astronomis, et ad probandam vulgo certitudinem hujus calculi diligenter notavi dies et loca, quibus planetae cum fixis visibiliter congrediuntur, aut Luna fixam insigniorem tegit, vel proximè attingit. Id puto Nautis utile futurum ad indagandas locorum longitudines, si doctrinam parallaxium tenuerint. Sunt autem positae in sinistra pagina, quae habet loca planetarum: eo quod fixae sint indices illorum locorum, tam longitudinis, quàm latitudinis.

Configurationes verò alias planetarum cum fixis Harmonicas, quas introducunt hodie aliqui, non censui consectandas: immensa enim congeries futura fuit, impossibilis observatu et distinctu.

Qua omissione nihil nocetur Meteorologicis observationibus. Conjunctionum enim cum fixis alia est ratio, quàm caeterorum aspectuum, nec eae hic omissae. Etsi non defuit ex doctis Astronomis, qui jam ante Christi tempora negare est ausus, tempestates illas, quae sideribus fixis ascribuntur, ab illarum † cum Sole conjunctionibus dependere: Legatur hac de re GEMINVS. Quod † verò JOANNES BAPTISTA CARELLVS fol. 20. Introductionis in Ephemeridas existimat: *Mobilia sidera non habere per se ipsa virtutem totaliter ciendi tempestates, sed consistere vim hanc in fixis varijs*, adeòque Planetarum Aspectus cum fixis fundamenti veluti loco praescribit: ejus ego planè contrarium sentio. Non videtur enim haec observatio Naturae sapere ingenium. Natura Creatoris mentem tenet; qui cùm Planetas à Fixis intervallo immenso, magnitudine visibili, motu, dispositionis praestantiâ distinxerit: Natura etiam motus suos ad configurationes non alias, quàm mobilium inter se mutuò, attemperat. Sic in Musica non afficimur consonantiâ vocis cum Campanâ, sed vocum inter se cognationem majorem habentium.

CARELLVS allegat Geneses, in quarum explicatione authores multum tribuant fixis. Respondeo: Genesium decreta non omnia concernunt motus, ut in judicijs tempestatum fit; pleraque enim ad formam seu speciem et qualitates corporum animorumve durabiles referuntur, ubi consentaneum est, fixas efficaces esse valde, eo ipso quod fixae; sed id efficere conjunctionibus cum planetis locisque figurae coelestis, non aspectibus alijs; aspectus enim motibus videntur familiariores, conjunctiones impressionibus durabilibus. Satis hac vice de his et de caeteris, quae in hac Ephemeride nova.[1]

EPHEMERIS NOVA

Motuum Coelestium ad annum Incarnationis Verbi M.DC.XVII.

Secundum aeram Dionysianam, quam Ecclesia Occidentalis hodie nuncupat A Nativitate Iesu Christi Seruatoris et Domini nostri.

Numerabunt Orientis et Scythiae Christiani

A conditu Rerum	7125
Judaei à conditu Rerum	5377
Abissini et Aegyptij Christiani aerae Martyrum . . .	1333
Saraceni et Turcae ab Hegira seu fuga Mahometis . .	1026
Astronomi à Nabonassaro	2365
Ab obitu Alexandri	1941

Est Annus Julianus 1662. Gregorianae Ordinationis 35
Primus a Bissexto

Indictio 15. Cyclus Solis 2.
Aureus numerus seu Cyclus Lunae 3. Epacta 23.

Litera Dominicalis In Juliano E
Intervallum Hebd: 9. Di: 4.

Septuagesima	16. Febr.
Cinerum	5. Martij
Pascha	20. April.
Ascensio	29. Maji
Pentecoste	8. Junij
Corpus Christi	19. Junij
Adventus Dom: . . .	30. Novemb.

In Gregoriano A
Hebd: 6. Di: 0.

Haec et alia Festa Mobilia et immobilia praecipua secundùm Calendarium Gregorianum inveniuntur ad dies suos adscripta in Ephemeride.

ANNO DOMINI M. DC. XVII.

Ingressus Solis in Signa Cardinalia

♑ 20. Decemb. H. 20. 49. Anni 1616. Gregoriano Stylo

♈ 19. Martij H. 21. 13. Anni 1617	♎ 22. Sept. H. 16. 0.
♋ 21. Junij H. 1. 12.	♑ 21. Decemb. H. 2. 31.

De Planetarum Habitudinibus vide Vestibulum Ephemeridis Anni 1618.

DESCRIPTIO ECLIPSIVM QVAE ANNO HOC 1617. CONTINGENT PER VNIVERSAM TERRAM

Quatuor hoc anno erunt eclipses, duae Solis, totidemque Lunae; quarum ultima solum in Lunâ penes nos videbitur.

q Quae his signis [ ] sunt inclusa, ea in solo anno 1617. secutus sum: ut moneo in Eph. anni 1618.

PRIMA ECLIPSIS

Prima in Sole die 5. Februarij, cujus in meridie aequali Uraniburgico erit anomalia Lunae media s. 4. gr. 28. 52. 43. Igitur assumptis horis 13. 19. 36. post meridiem, invenitur anomalia s. 5. gr. 6. 8. 1. Aequatio ex hypotheseos physicae legibus gr. 2. 7. 35. sub: et coaequata anomalia s. 5. gr. 4. 0. 36. cui additus locus apogaei Lunae s. 5. gr. 13. 39. 7. conficit locum centri Lunae 17. 39. 43 ♒.

[Abest verò hoc loco punctum copulae à perihelio eccentrici Lunae arcu gr. 1. 25. in descendenti semicirculo, ergò in consequentia (ex Terra aspiciendo). Habet igitur variationem secundum me M. 1. 26. add. Itaque correctior Lunae locus ratione orbitae in 17. 41. 0 ♒.]

Et cum sit nodus ascendens in 1. 0. 0 ♌: restat luminaribus ad illum arcus gr. 13. 19. cui reductio ad eclipticam competit M. 3. 20. Arcus ergo ex centro Lunae exiens, ad ejus orbitam rectus, secat eclipticam in 17. 37. 40 ♒. Atqui Sol ad hanc horam obtinet 17. 35. 12 ♒: Luna igitur ante 5. minuta horae fuit in ipso puncto obscurationis maximae.

Horarius ☽ à ☉ in conjunctione est hac vice mihi M. 34. 46. Cumque jam distet ☉ à nodo gr. 13. 22. et verò terminus omnium minimus eclipsium solarium gr. 15. 6. sit major hac distantia, continget igitur omninò aliqua eclipsis.

Est autem parallaxis Solis mihi hac vice M. 1. 59. Lunae 61. 30. Ergo semidiameter disci Terrae 59. 31. Arcus verò inter centra ☉ et ☽ est gr. 1. 13. 22. disco major. Nuspiam igitur totalis fit eclipsis, sic ut centrum umbrae Lunae in Terram incidat.

Pro quantitate capitur semidiameter ☽ M. 16. 54. semidiameter ☉ 15. 26. Ergò penumbrae 32. 20. umbrae 1. 28. differentia harum 30. 52. quae valet digitos 12; differt verò arcus inter centra à summâ semidiametrorum disci et penumbrae per M. 18. 26. Ergò valet digitos 7. Tantum deficiet, ubi defectus omnium maximus.

Ex eadem comparatione etiam scrupula colliguntur durationis dimidiae M. 55. 0. quae conficiuntur horis 1. 34. ut sit initium obscurationis in Terra hora

17) asumptis

11. 45. finis hora 14. 40. aequali Uraniburgi. Aequatio temporis est mihi M. 1. 4. addenda, TYCHONI 9. 52. addenda, vulgò verò 14. 46. ad: siquidem hac forma instituatur: sed hic ab aequali tempore subtrahenda. Hinc tempora apparentia initij, medij et finis H. 11. 40. H. 13. 14. H. 14. 48.

Cumque semidiameter disci Terrae sit M. 59. 31. et scrupula penumbrae deficientia M. 18. 26. differentia M. 41. 5: hinc arguitur arcus circuli magni Terrae à loco, qui Soli subest perpendiculariter in medio eclipseos, versus locum sub polo eclipticae extensus, gr. 43. 40. Ut autem distet nonagesimus eclipticae 17. 30 ♉ ♒ à vertice gradibus 43. 30. hoc est, ut oriens 17. 30. angulo 46. 30. secet horizontem, oportet esse altitudinem poli australis gr. 56. circiter, et horam ibi loci 1. 29. post meridiem, nobis H. 13. M. 20. p. m.[1]

41 Hucusque igitur Terrarum sentietur eclipsis in medio durationis. Locus est in Magellanica incognita, infra Insulas infortunatas, antipodas Gottlandiae in sinu Baltico.

Rursum quia in superioribus elementis fuerunt gr. 1. 31. 40. et gr. 1. 13. 22. hinc arcus circuli magni in Terra inter puncta, ex quibus spectatur initium et finis universae eclipsationis, arguitur gr. 73. 44. Inventis ergò locis, qui sub initium, et qui sub finem totius durationis solem verticalem habuerint, scribitur ex illorum uno quolibet circulus magnus in Terra per locum sub polo eclipticae: et in eo ab initiali quidem subpolari loco numerantur gr. 31. 34. versus consequentia, à finali verò gr. 42. 10. Primi ergo sunt, quibus gr. 17 ♒ oritur, eclipticâ ad horizontem 31. 34. inclinatâ, id est sub altitudine poli australis gr. 69. horâ existente 14. 52. post meridiem, cùm nos numeraturi simus H. 11. 35. post meridiem.

Locus rursum est Magellanicae incognitae, infra Arabiam foelicem et Magadascar. His enim primis omnium Sol oriens incipiet eclipsari.

Ultimi erunt ij, quibus 17. 30 ♒ occidit, angulo orientis 17. 30 ♌, cum horizonte gr. 42. 10. quibus arguitur altitudo poli australis gr. 29. H. 6. M. 36. post meridiem, cùm nos tunc numeremus H. 15. 4. p. m.

Locus est in Oceano Australi, è regione provinciae Chili septentrionalis. Huic omnium ultimo Sol occidens eclipsari desinet.

Caeterùm paulò post initium, et paulò ante finem, quando margo penumbrae ille, qui est vicinissimus eclipticae, Terram attingit, eclipsis sentietur paulò propius locis eclipticae subjectis.

Typus eclipseos hujus solaris seu potius faciei globi Terrae, ut eam penumbra Lunae transit.

FMG circulus Terrae maximus, seu discus Terrae ex Sole aspectabilis. A locus Terrae perpendiculariter Solis centro subjectus. FG situs eclipticae, seu tractus Terrarum sub ea, alijs momentis alius.


AQ tractus sub circulo latitudinis.

BDE iter umbrae Lunae B, D, C et E et penumbrae BL, DI, EP in principio, per medium ad finem defectus à sinistra ad dextram. AD arcus inter centra.

CI differentia semidiametrorum umbrae DC, et penumbrae DI, divisa est in digitos 12.

HIK parallelus orbitae lunaris in Terrâ, sub quo incipit animadverti defectus Solis. Ab eo quotus quisque parallelus ordine pictus est, tot digiti in locis sub eo constitutis cernuntur deficere, ita ut in puncto N digiti 7. cernantur deficere.

Notandum tamen, quod propter motum diurnum non toto durationis tempore eadem loca Terrae cuique parallelo subsint.



M est punctum Terrae, quod primo omnium incipit sentire aliquem defectum, O vicissim ultimò videt, seu potius desinit videre defectum. Etsi paulò post initium, etiam in locis H septentrionalioribus quàm est M, incipit videri defectus. Et paulò ante finem obscurationis omnimodae in locis K septentrionalioribus quàm O, desinit videri.

Typo alio seu specie Solis deficientis nullâ fuit opus, quòd in meo loco non sit apparitura, nec locis, quibus defectus videbitur, una species sufficiat. 42

Novilunium proximè sequens 7. Martij in meridie habet Solem distantem à nodo gr. 17. 47. cùm sit maximus terminus eclipsium solarium gr. 17. 2. Nulla igitur pars Terrae quicquam de Sole tectum videbit, etsi Prutenicus calculus exiguam aliquam admittat.

SECVNDA ECLIPSIS

Secunda Eclipsis continget in Luna, et spectabitur in locis hemisphaerij inferioris die 20. Februarij: in cujus meridie est anomalia ☽ media s. 11. gr. 14. 51. 12; adde motum horae 1. 50. scilicet 59. 52. fietque s. 11. gr. 15. 51. 4. dans aequationem gr. 1. 9. 38. add: ut sit coaequata s. 11. gr. 17. 0. 42. Adde motum apogaei ab aequinoctio s. 5. gr. 15. 16. 44. Veniet ☽ in 2. 17. 26. ♍ orbitae. †

[Ac cùm Sol distet ab apogaeo ☽ gr. 167. distant igitur punctum oppositionis et aphelium orbitae gr. 0. 52. quare Luna adhuc habet variationem 0. 52. subt: quo nomine est in 2. 16. 34 ♍.]

Nodus verò est in 0. 14 ♍, et ejus à luminaribus distantiae respondet reductio ad eclipticam 0. 34. Luna descendente à nodo. Igitur pro medio eclipsis

10) 57. 42 *statt* 59. 52

requiritur, ut centrum umbrae sit in 2. 17. 8 ♏. Atqui Sol in hac hora invenitur in 2. 14. 48 ♐, ergo non plus quam 5. temporis minutis citius continget medium eclipseos.


Elongatio à nodo gr. 2. 3. dat ex tab: lat: arcum inter centra gr. 0. 11. 20. mer. Est autem semidiameter ☉ 15. 24. ☽ 15. 2. parallaxis ☉ 1. 59. ☽ 54. 50. Summa 56. 49. hinc ablata semidiameter Solis dat 41. 25. semidiametrum umbrae, quae excedit gr. 0. 11. 20. latitudinem, et 15. 2. diametrum Lunae junctas: totalis igitur eclipsis erit cum mora.

Differentia semidiametrorum Lunae et umbrae est M. 26. 23. summa vero M. 56. 27. Hinc scrupula morae dimidiae 23. 49. durationis dimidiae 55. 19. Horarius verò Lunae à Sole mihi est 27. 5. Ergò duratio eclipsis dimidiae H. 2. 1. 15. morae dim: 52. 38. Incidet spatio H. 1. 8. 37. aequali emerget: morabitur in tenebris H. 1. 45. 16. durabit H. 4. 2. 30. aequatio temporis mihi est 3. 5. sub: TYCHONI 7. 56. add: vulgò 17. add. Hic è contrario aequalibus temporibus additur secundum me, ut fiant apparentia.

	Aequali	*Apparenti*
Ergò principium incidentiae	H. 11. M. 42′ 45″	H. 11. M. 45′ 50″
Initium totalis obscurationis	H. 12. M. 51. 22.	H. 12. M. 54. 27.
Medium seu summa obscuratio.	H. 1. M. 44. 28.	H. 1. M. 47. 33.
Initium emersionis	H. 2. M. 36. 38.	H. 2. M. 39. 43.
Finis totius eclipsis	H. 3. M. 45. 15.	H. 3. M. 48. 20.

TYCHONIS BRAHEI tabulae dant semidiametrum ☉ 15. 45. ☽ 15. 2. parallaxin ☉ 3. 4. ☽ 59. 6. Summa 62. 10. Ablata semid. ☉ relinquitur umbrae semid. 46. 25. Atqui hanc ille exhibet in separata columna 43. 4. et ablata variatione s. 50. residuum m. 42. 14.

In principio defectus Luna verticalis erit navigantibus Oceanum magnum, medium inter novam Guineam terrae australis, et Californiam, septentrionalis Americae provincias. Ergò qui ab hoc loco distant versus orientem quadrante, per Gronlandiam, terram Laboratoris, Novam Franciam, Bermudam et Hispaniolam, Oceani occidentalis Insulas, per Castiliam auream, Peruviam, Chili, Americae provincias, usque ad Magellanicam, qua fretum hujus nominis in Oceanum australem ingreditur: illis omnibus in puncto principij Sol oritur, Luna occidit. Hic igitur tractus terminat versus occidentem (nobis) observationem hujus deliquij. In medio defectus Luna verticalis erit in Oceano Indico, inter Sinas et Americam, inter insulas Jardines et Corallorum. In fine totius deliquij Luna verticalis erit post insulas Aromatarias Indiae, in archipelago S. Lazari. Quare qui ab hoc loco distant quadrante versus occidentem (Indiae), pars iterum Gronlandiae, Fimmarchia, Moscovia, Tauri|ca Chersonnesus, Pontus Euxinus, Asia minor, Mare Rubrum, Aethiopia, Melinde, Magadascar, et tritus frequentibus Hispanorum Hollandorumque navigationi-



bus Oceanus orientalis inter Africam et Americam: his inquam, Luna principio noctis exoriens finem deliquij faciet, atque sic tractus iste terminabit observationem deliquij versus orientem (Nobis).

TERTIA ECLIPSIS

Tertium deliquium continget in Sole, et videbitur in extremo septentrione. In meridie aequali diei 1. Augusti est anomalia Lunae s. 10. gr. 1. 22. 51. Assumptis igitur sc. 32. unius horae post meridiem, fit anom: med: s. 10. gr. 1. 40. 16. cum aequatione gr. 4. 7. 48. add: ut sit coaequatae s. 10. gr. 5. 48. 4. cui junge apogaei locum ab aequinoctio s. 6. gr. 3. 18. 46. veniet Luna in 9. 6. 50 ♌ ratione orbitae.

[Et cùm sit in ascendenti semicirculo, abest ergò punctum copulae ab eccentrici perihelio gr. 2. 13. in antecedentia (ex Terra spectando), cui competit secundum me variatio M. 2. 16. sub:]

Igitur Luna in gr. 9. 4. 34 ♌ ratione orbitae. Et cum sit nodus in 21. 39 ♌, respondet igitur reductio ad eclipticam 3. 13. itaque pro loco centri Solis ostenditur gr. 9. 1. 21 ♌.

Ad hoc verò tempus assumptum Sol invenitur in 9. 1. 45 ♌, differens per 24. Quae efficiunt minus uno minuto temporis. Igitur hora 12. 33. fit media eclipsatio, si qua fit. Nam distat ☉ à nodo per gr. 12. 37. cùm terminus solarium minimus sit gr. 15. 6. Omninò igitur in septentrione defectus erit, quia Luna septentrionalis.

Respondet autem huic distantiae arcus inter centra gr. 1. 9. 22. sept: Parallaxis Solis mihi 1. 57. Lunae 56. 12. ergò semidiameter disci Terrae 55. 15. minor illo arcu. Nuspiam igitur totus Sol deficiet.

Pro quantitate est semidiameter Lunae 15. 28. penumbrae ergò 30. 31. et umbrae 0. 25. et earum diff: 30. 6. quae valet digitos 12. Summa verò disci et penumbrae semidiametrorum gr. 1. 25. 46. à qua differt arcus ille per 16. 24. Erunt igitur in defectu digiti 6. 36. ubi plurimum.

Ex comparatione verò gr. 1. 25. 46. et gr. 1. 9. 22. colliguntur dimidiae durationis scrupula M. 50. 26. quae per horarium ☽ à ☉ 28. 49. (secundum me) conficiuntur horis 1. 44. Initium ergò hora 10. 48. Finis hora 2. 18. Aequatio temporis hoc die mihi est 17. 19. add: TYCHONI 9. 48. add: vulgò 5. 15. add: siquidem causarum duarum, quas vulgo adhibent, utraque à suo principio deducatur: hic subtrahitur aequatio tempori medio, ut fiat apparens. Hinc apparens initium totius durationis per universa loca Terrae, in quibus aliquid de Sole tectum videri poterit, erit H. 10. 31. finis H. 1. 59.

15	*Nat. Ch* 25	3.18	52	11.17	5	18.49	42	4.15. 8	18.20	52	22. 9	49	21.59	3. 2	54
16	*Steph.* 26	3.12	52	11.15	5	19.21	42	5.16.28	19.27	51	23.32	44	4. 1	3.52	51
17	*Ioh. Ev.* 27	3. 7	52	11.13	4	19.53	42	6.17.48	20.34	51	24.52	38	15.57	4.31	48
18	*Innoc.* 28	3. 2	52	11.11	4	20.25	42	7.19. 7	21.42	50	26. 9	31	27.52	4.59	45
19	29	2.57	52	11.10	4	20.56	42	8.20.26	22.49	50	27.23	22	9.45	5.13 D	42
20	30	2.52	52	11. 8	3	21.28	43	9.21.45	23.57	49	28.33	12	21.43	5.15	39
21	31	2.47	52	11. 7	3	22. 0	43	10.23. 3	25. 5	48	29.38	1	3.45	5. 2	35

♂ die 15. manè exoriens visetur sub cingulo ♍ semidiametro Lunæ: Die 25. supra spicam transibit eminus. ♀ inter dies 7. & 8. proximè infra fimbriam vestis ♍ transibit; inter dies 17. & 18. transibit inter lances ♎, Inter d. 26. 27. superabit stellulam lancis Australinæ. ☽ die 1. bifida teget ♓ fusionis ♒ nobis; inter dies 5. & 6. teget occiput Ceti Oceano Indico. Die 10. propoda & pedem ♊ Simonis: Die 11. manè occultura genu ♊ nobis. Die 28. fusionem ♒ Americæ.

Juliani	Gregoriani	LVNÆ cum ♄ Oriē:	♃ Occi:	♂ Oriē	☉	♀ Oriē.	☿ Occi.	Phases Lunæ.	INFERIORVM ☿ Cum	♀ Cum	☉ Cum	SVPERIORVM inter se
21	1	△			□		□	13.49 ☽				
22	2		✳								☌	
23	3								♃ ☌			☿ ☌ ♂ ☌ ♃
24	4	□		☌	△							
25	5						△					♀ Elong maxima.
26	6	✳				☌						
27	7		☌	△								☽ supra ♃ transibit.
28	8											
29	9				☌		☌	☍ 6.				Eclipsis ☽ totalis.
30	10	☌		□		△		○ 29. Eclip.				☽ infra ♄ transibit.
1	11		✳								♃ ☌	
2	12					□				♄ △		
3	13		□	✳	△				♄ ☌			
4	14	✳				✳	△	Perigæ.				
5	15		△		□				☿ ✳			
6	16							☾ 3.4.				
7	17	□		☌			□					
8	18				✳				♃ △		♂ ☌	
9	19	△	☌			☌	✳			♃ ☌		
10	20											☽ teget ♀ in Austro è regione Indiæ.
11	21								♂ □			
12	22			✳				☍ 9.57 ●				
13	22	☌			☌							
14	24		△			✳	☌				♄ ☌	
15	25	Occi.		□								Occidet ☽ supra ☿
16	26		□							♂ ☌		
17	27			△		□						
18	28	△						Apogæ				
19	29		✳		✳							
20	30					△						
21	31	□					✳					

♄ pernox circa Natalicia, nec unquam major. ♃ occidit ante Solis exortum: ♂ oritur post medium noctis. ♀ Lucifer die 5. in elongatione maximâ à Sole clarissimè apparebit in exortu, projiciens umbras. ☿ ultima parte mensis vesperi conspicietur è Solis radijs emersus.

TOMI PRIMI

EPHEMERIDVM IOANNIS KEPLERI

PARS SECVNDA,

AB ANNO M. DC. XXI. ad M.DC.XXVIII.

Quæ ex Tabb. Rudolphi, vel adhuc ſurgentibus, vel nondum editis, liberiori paulò calculo computatæ, ad ſuum quidem quæque annum, edi tamen antehac commodè non potuerunt.

Acceſſit nunc his annis, utpotè jam exactis, hiſtoria mutationum auræ perpetua, fida & diligens, ejuſq́, cum motibus & configurationibus ſtellarum comparatio; ſubſidium inſtauranda vera Meteorologia, & profligandis ex ea nugis, ſummopere neceſſarium.

CVM PRIVILEGIO CAESAREO AD ANNOS XV,

IMPRESSA

SAGANI SILESIORVM,

In Typographeio Ducali,

SVMPTIBVS AVTHORIS.

ANNO M. DC. XXX.

r2 REVERENDISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS, GENEROSIS, NOBILIBVS, STRENVIS, HONORATISSIMIS, PRVDENTISSIMIS DNN. ARCHIDVCATVS AVSTRIAE SVPR-ANISANAE PROCERIBVS; DNN. MECOENATIBVS MEIS BENEFICENTISSIMIS S.

Reverendissimi, Illustrissimi, Nobiles, Strenui, Honoratissimi, Prudentissimi, etc. Biennium abijt ex quo, Tabulis Rudolphi primùm anno M.DC.XXVIII Vlmae Suevorum in publicum editis, deindè anno sequenti
10 Imp. Caesari FERDINANDO II. Domino Pragae exhibitis, Lincium reversus rationem Vobis absentiae, peractorumque itinerum reddidi, deque meo transitu Saganum, ad ea, quae professionis meae sunt, subsidijs ijs, quae Dux Magnifi-
r2v cen|tissimus obtulerat, perficienda, Vestram voluntatem quâ decebat submissione exquisivi: cùm et faciles Vos ad vota mea et suprà, quàm vel optandum mihi fuerat, in me beneficos expertus, provinciâ, quae per annos jam XVI. gratum mihi, musisque meis hospitium praebuerat, exivi, plenus et gaudio, quòd retinerem nihilominus Patronos consuetos, et spe revidendae, quam tunc haud parùm afflictam relinquebam, meliori propediem fortuna usurae, meae meorumque patriae. Omnia bona sua secum se portare gloriatus est ille Philo-
† 20 sophus, cùm jacturam bonorum passi essent comites: Ego verò etiam Vestra mecum tunc exportavi, pauculis meis Vestrae tutelae relictis: non equidem ut
r3 Vos expoliarem, sed ut affecta perficerem, perfecta | ad Vos remitterem: Ephemeridas has, inquam, annorum octo successivè computatas inter curas Tabularum Rudolphi majores, interque itinera longinqua et diuturna, domi etiam, quâ temporum difficultate, quàm infandis malis publicis, non lubet meminisse. Eas Vestras esse, haud puto negabitis, qui et subsidia mihi, non tantùm ad quatuor priores, Lincij dudum editas, sed etiam ad has octo proximè sequentes elaborandas liberalissimâ manu suppeditastis, et locum pro re natâ haud incommodum concessistis, tutumque me et meos ab injurijs omnibus praesti-
30 tistis: ut haud facilè repertum iri credam quenquam incolarum, ad quem minor sensus malorum publicorum pertigerit. Etiam illa, quae nunc demùm Sagani
r3v ornatui operis | accesserunt, Vestra sunt: Commentarios putate meos mutationum aurae, ex quibus historiam aëris potissimùm Austriaci horum annorum transsumpsi, quam alij cum suorum locorum tempestatibus, si eandem in annotandis diligentiam posuêre, conferrent.

Hanc itaque partem Secundam Operis, et Vestro honori, et usibus publicis dicatam, Sagani in Typographio Ducali, sub initium hujus anni instaurato, labore et vigilijs haud exiguis extrusi, viamque hac lacuna exactorum annorum expletâ stravi subjungendis Ephemeridibus futurorum annorum: ut Imp. Au-
r4 40 gusto FERDINANDO II. Domino nostro, qui continuationem Ephemeri|dum urgebat, eâ, quae Monarchae debetur à servulo, et animi promptitudine, et virium contentione meam fidem devotionemque approbarem: fieretque hoc pacto Tomus integer Ephemeridum in annos XX. ab eo, à quo Lincij inceperam anno M.DC.XVII. continuo ordine usque in annum M.DC.XXXVI.

11) rationes

Hanc, inquam, partem Operis Ephemeridasque nondum editas, nunc verò Dei indulgentiâ foeliciter absolutas hoc ipso tempore, quo ad Vos, antiquiores Patronos, me cura rerum mearum in provinciâ relictarum advocat, praemittere volui: ut receptae à Vobis proprietatis suae respectu mihi proximè subsecuturo viam ad gratiam Vestram aperirent, absentiaeque biennalis rationes expedirent.[1]

Haec animo volvens, in praesens finio, RR. et Ill. GG. VV. debitâ cum *r4v*
veneratione prospera omnia precatus: quorum patrocinio pollentissimo me meosque summâ cum diligentiâ commendo. Sagani, Ducatu Silesiae, Idibus Septembris Anno M.DC.XXX.

RR. et Ill. GG. VV.

Cliens addictissimus, et cultor gratissimus

JOANNES KEPPLERVS

Mathematicus

EPHEMERIS

Motuum Coelestium ad annum Incarnationis Verbi, secundùm aeram Dionysianam, sed quam Ecclesia Occidentis hodie nuncupat, a Nativitate Iesu Christi Servatoris et Domini nostri M.DC.XXI.

Accessit historia mutationum aurae ad dies singulos annotata diligenter, cum iudicio de earum causis; nec nullae observationes phaenomenon.

Numerabunt

Orientis et Scythiae Christiani, A conditu rerum . .	7129
Judaei, A conditu rerum	5381
Abyssini et Aegyptii Christiani, Aerae Martyrum . .	1337
Sarraceni et Turcae, Ab Hegira, seu fuga Mahometis	1030
Astronomi, A Nabonassaro, annos Aegyptiacos . . .	2369
Ab obitu Alexandri	1945

Est annus Ordinationis Julianae 1666, Emendationis Gregorianae 39.

Aureus Numerus, seu Cycli Lunae 7.	Epacta 7.
Indictio 4.	Cycli Solis 6.

Annus Primus a Bissextili

In Juliano	In Gregoriano
Litera Dominicalis G.	Litera Dominicalis C.
Intervallum Hebd: 6. Di: 6.	Intervallum Hebd: 8. Di: 2.

Ingressus Solis in quatuor puncta Cardinalia

Arietis, Die 19. Martij H. 20. 28.	Librae, Die 22. Sept. H. 15. 13.
Cancri, Die 21. Junij H. 0. 23.	Capric. Die 20. Dec. H. 1. 58.

IN EPHEMERIDA ANNI 1621. PRAEFATIO

Rv

Concepta primùm anno 1620

Tandem fit surculus arbor. Multiplex lunarium motuum inaequalitas varias per saecula dedit Hypothesium successiones, quarum unam et Ego adjeci in Ephemeridibus 4 annorum proximorum, descriptam in Prolegomenis Num. 16. 18. eamque in Ephemeride anni 1618. geminatam repraesentavi, non formâ vel fundamento, sed apparatu Geometrico. Omnes tamen Astronomi in ea fuimus opinione, menstruas Lunae aequationes prodire ex peculiari sua sivè Eccentricitate, sivè Epicyclo. Hoc, quamvis non optimè concoquebant speculationes physicae motuum; ego tamen desperatione causarum verarum sequi statueram in Opere Tabularum: nisi morae istae Tabularum editioni, bono philosophiae fato, intercessissent.

En igitur vel tandem prostratum, imò ex Astronomia, ex ipsâ rerum Naturâ eliminatum hoc monstrum geminatae Eccentricitatis, hoc est, unâ liturâ deletum Num. 16. Prolegom. en nudam et simplicem Lunae orbitam circa Terram, † qualis est caeterorum uniuscujusque circa Solem. Quae hypotheseos ratio, quo simplicior est ex suis principijs, hoc magis est varia effectu. Luna enim uno solo semperque uniformi egressu à duobus motus sui fontibus, quorum alter se habet ut punctum, alter ut linea, opticam quidem aequationem causatur unicam, physicas verò duas (de Variatione enim posteà seorsim dicam), alteram constantem, alteram evanidam. Centrum enim eccentrici Lunae, circumiens sub fixis, à Terrae quidem centro semper abest aequaliter (mutandus hîc est N. 18. Prolegom. ut factum Epit. Astr. fol. 614), at à linea in plano circuli illu- † minationis ductâ variè distat, adeoque in ipsam bis in anno incidit: quibus momentis extincta est aequatio menstrua.

Hanc Hypothesis formam exactissimè comprobant causae physicae, adeoque fidei robur illae hinc praecipuum acquirunt. Sequitur autem, ut majores menstruarum aequationum portiones proveniant versus apogaei plagas, minores versus perigaei. Quam ad varietatem comparata erant initio duplicia scrupula proportionalia, quorum, ut et totius operationis, haec Ephemeris primum exemplum fuit. *In Epitoma verò et Tabulis posteriùs huic duplicationi scrupulorum successit particula exsors effectu penè eodem; addo etiam emendatiori.* †

Sequitur igitur, ut etiam effectus aequationum proveniat paulò diversus ab exegesi Nu. 17. Septem enim summùm scrupulis aequationes semicirculorum inter se dissidentes circa octantes Lunae à Tychonica Hypothesi huc illuc divagantur: quae 7 scrup. interdum quidem aequaliter inter excessus et defectus distribuuntur; interdum potiori parte stant ab uno latere, aut etiam tota in latus unum concedunt, unum vel alterum scrupulum insuper dissidentibus aequationibus alterutris à TYCHONE longius. Itaque operae pretium est, Hypothesin hanc cum observationibus conferre: nam Tychonica Hypothesis, si minutula ista reputare vellemus, adhuc variè impingit in eas. Hoc primum est, quod in hujus Ephemeridis vestibulo monendum erat.

II. Succedit famosa illa TYCHONIS inventio, Variatio dicta: in quam quid fuerim ausus in conscriptione praecedentium Ephemeridum, leges in Prolego-

menis Num. 19. Fieri quis posse putaret? inventa est à me ratio, quâ etiam ipsissima forma Tychonica hujus variationis (seu libratio Lunae in diametro epicycli, cujus dupla sit celeritas ad restitutionem Phasium) ad causas merè
R2 physicas referretur. Hactenus enim illuminationem caussatus unicam, primùm
† Lunae, in Eph. anni 1617. et 1618; deinde Telluris, in Eph. anni 1619, redactus fui ad distributionem summae accelerationis eam, quae utitur sinibus simplicibus. At nunc, meliùs expensis causis physicis, deprehendo, conjungendas utriusque corporis illuminationes, quasi non tantùm motrici virtuti modulus virium accedat ex apparentia diametri illuminationis Telluris, sed etiam portio, quanta de hoc modulo recipiatur in Lunam, ut mobile, determinetur per apparentiam alterius diametri illuminationis Lunae. Quod quid sit in contemplatione
† motuum physicâ, pars altera Epitomes Astronomiae detegit Libro IV. fol. 562. 563. Itaque his principijs non ad sinus simplices, ut dudum, sed ad quadrata sinuum redactus, Lib. VI. fol. 813. 814, computo exactissimè idem, quod BRAHEVS libratione suâ, siquidem eadem etiam quantitas Variationis maximae praesupponatur.

Etsi verò quantitas paulo diversa à Tychonicâ colligi videtur, si appendicem illam ad 12 revolutiones Lunae in anno ad unguem observarem ut hactenus, de qua re vide Epit. Lib. VI. fol. 816, placuit mihi tamen in Ephemeridibus sequentibus, TYCHONI cum formâ suâ etiam quantitatem restituere, quoad de hoc dissidio, clariùs liqueat. Si cui displicet haec titubatio, is legat fol. 15. Prolegom. videbit in hac inconstantia, me mihi optimè constare: meminerit, Ephemeridas istas singulatim prodeuntes destinatas esse tyrocinio Tabularum, ut quaeque quovis tempore nascuntur.

III. Parallaxes Lunae hactenus a me fuerunt assumptae justo minores: hoc
† multis Eclipsium documentis constitit, hoc et REMVS, amicus meus, monuit. Ego, victus taedio venationis minutulae, feci operae compendium, parallaxes Solis et Lunae à priori constitui ausu longè felicissimo. Conspirant enim in unum rationes archetypicae, parallaxes à TYCHONE observatae in Quadris (quae per ea, quae hîc primo loco disputata sunt, valent etiam in Copulis), denique Eclipses à me et alijs observatae, tàm Solis, quàm Lunae, quibus sisto sociam sequentis anni 1621. Eclipsin Solis, quae Staffordiae in Anglia centralis futura indicatur. Porrò igitur Num. 28. Prolegom. et per consequentiam similem, etiam 26. de Lunae diametro, habebuntur ad hunc modum pro limitatis.

IV. Cùm itaque porrò mutandus sit Num. 7. Proleg. et Solis parallaxis intra unum minutum consistat: proportio etiam orbium Solis et Lunae, et cum eâ Variatio umbrae Terrae Num. 29. minor, et tanta evadit, ut inter Quadratum Solis et Lunae, interque faciem bifidam rarò duae horae, interdum vix sesquihora amplius intersint. Observationem verò seu agnitionem hujus Phaseos per Telescopium, de qua monui in Praefat. Ephemeridis in annum 1619, invenio difficilimam et planè confusam ob asperitatem corporis Lunaris, ut quae eodem momento aliâ sectionis parte cava, reliquâ gibba apparet. Itaque irrita erat spes illa mea; discrimen enim hoc temporis tam exiguum nulla nobis suppeditare potest adjumenta determinandae merae Quadrae, perque eam verae proportionis orbium Solis et Lunae. Interim tamen ARISTARCHI et PTOLEMAEI proportionem orbium Solis et Lunae, per quam temporis intervallum

14) Lib IV. *statt* VI. 19) Lib. IV. *statt* VI.

inter Phasin Bisectionis et Quadratum Solis et Lunae excurreret ultra sex horas, redarguere fortasse nihilominùs poterit observatio per Telescopium. †

V. Illud seorsim monendus est Lector, ab hoc anno 1621 jam porrò receptum esse in Numerum Aspectuum Quincuncem, signo ⚻; Semisextum verò qui hactenus hoc signo exprimebatur, jam porrò repraesentari hoc convenientiori signo ⚹ vel ⚺. Quippe hoc erat consentaneum Prolegomenis f. 37.

VI. Motus verò apogaei, hoc est (eo detracto de motu simplici, residuus) motus anomaliae, jam porrò non exactissimè Tychonicus est intelligendus, ut Num. II, sed quantus est in Tabulis Rudolphi. Ad quantitatem enim motus † constituendam, cùm requirantur duae Epochae, alteram quidem, ad tempora 10 nostra, retinui merè Tychonicam; antiquam verò, PTOLEMAEI, ex observationibus, quae supersunt, diligentius examinatis constitui in Tabulis paulò aliam.

VII. De latitudinis Lunae denominatione vide in praeceptis Tabularum cap. XXVII. p. 89. 91, et in praefatione in annum 1629. priùs impressum, Num. 5: quae communiter hunc annum et seqq. attinent.[1]

VIII. Quod attinet reliquos quatuor planetas, de ijs, ac praesertim de Marte, *R2v* affirmavi Proleg. f. 14, me non latum unguem discessisse à Commentarijs meis de motibus hujus planetae. Id sic intellige: quoties, et ad quoscunque dies computavi, retenta à me esse principia illa. Itaque in provocatione ad aliorum calculos apponendi erant dies, ad quos computavi. Nam si calculus dies com- 20 plures transsiliat, quod in prioribus 4 Ephemeridibus interdum à me factum memini, locus Martis, quando cursum jam versus perigaeum praecipitare incipit, diductione tàm longinquâ vitiari poterit scrupulis aliquot: id quod non latuit LVDOVICI BARBAVARIAE oculatissimam diligentiam. Qui neces- † sitatem mihi imposuit examinandi dies plures in annis abhinc sequentibus. At non ideo, praesertim annis jam exactis, visum est operae pretium ullum in nimiâ anxietate, quin tabulis interdum diurnorum eccentrici uterer, quasi semper a meridie et ab eodem puncto Zodiaci incipientium, quamvis ij quandoque aliquot horis ante vel post, et post exactos annos aliquot à promotiori aphelio inciperent. Semper tamen cum successione annorum et calculus fuit accuratior. 30 Et hactenus quidem ex Tabulis Rudolphi surgentibus: quae verò ex jam consummatis vel à me, vel à collegis sint computata, dicam suis annis.

Tantum itaque de principijs, quae in hac Ephemeride sum secutus diversa à prioribus, praefari oportuit.

DE ECLIPSIBVS SOLIS ET LVNAE ANNI M.DC.XXI.

Quatuor hoc anno contingunt Eclipses, duae Solis et Lunae totidem. Prima Solis, et ultima Lunae in nostro Hemisphaerio conspicuae erant, reliquae in altero.

Die enim $\frac{11}{21}$ Maji, cùm ego Lincio absens essem in Wirtembergia, staremque † accinctus ad observandam Eclipsin, cùm serenum fuisset coelum aliquot con- 40 tinuis diebus ante, subitò nubibus coortis toto durationis tempore Solem in nimbo tempestas atra tenuit. Lincij tamen in altitudine Solis 36°, id est, Horâ 8. 5′ visus est deficere digitus unus. Puzbachij in Weteravia visus est finis, et paulò pòst, altitudine Solis 51° 4′, Quadrante sescubitali aeneo, arguitur Horâ

44) altitudo

9. 54 ¼. Dantisci cepit Horâ 8. 28′, desijt Horâ 11. 0 exactè. Quantitas ibi aestimata digitorum 10 cum triente. Sub maximam obscurationem tota plaga coeli occidua horribili caligine obducta fuisse scribitur, Sole colores rerum, praesertim hominum alterante quasi ad flavedinem. Maxima obscuratio ab Hora 9. 40′ in 9. 45 et 9. 46. Post Horam 11. coortum ventum ingentem, et procellam cum pluviâ satis largâ. Sic et Mompeligardi in Burgundiâ videri ferè tota potuit, maximè circa finem. Sed defuit idoneus observator.

Lubet primùm permittere locum Lunae observationi Dantiscanae, ut hoc † sit exemplum Praecepti 174. 175 Tabularum Rudolphi, et durationem obser- 10 vatam horarum 2. 32′ conferre cum eo, quod supposito hoc loco Lunae, proderet calculus Rudolphinus.

Tempus igitur apparens initij traditur fuisse H. 8. 28, id est tempora 127, Vraniburgi 120, quando locus Solis 0°. 15′. 46″ ♊, ejus Asc. recta 58°. 4′, quare Asc. recta Medij Coeli 357°. 4′, Asc. obl. 95°. 4′, et quia alt. Poli est 54°. 23′, oritur ergò 2°. 38′ ♌. Cùmque inceperit Eclipsis, Luna visa fuit ante Solem, quasi in 29°. 49′ ♉, distans à Nonagesimo 27°. 12′ cir. Erat et Parallaxis Lunae à Sole 59′. 41″, ac proindè per haec principia parallaxis long. 18′. 48″, lat. 43′. 15″.

Constituenda est adjumento calculi latitudo visa Dantiscani principij per veram, idque tantùm ideò, ut etiam visa et vera longitudo ex observatione 20 possit constitui.

Pone verum locum ♋ 8°. 8′ ♊.

R3 Cùm igitur parallaxis sit in ortum, si Luna visa fuit circa 29°. 49′ ♉, verè fuerit circa 29°. 30′ ♉: et sic, in Ecliptica quidem, distabat à ♋ circiter 8°. 38′, habens veram lat. sept. 47′. 40″ circiter. Hinc ablatâ parallaxi lat. 43′. 15″, relinquitur visa lat. 4′. 25″ sept. circiter. Cùm autem in principio Eclipsis distent centra per 30′. 30″, quanta scilicet est hic summa semidiametrorum, de his verò 4′. 25″ cedant latitudini, necesse est, longitudini in Ecliptica cedere 30′. 12″. Ita his subtractis à loco Solis, certificatur locus Lunae visus 29°. 45′. 34″ ♉, et subtractâ parallaxi longitudinis, verus in Ecliptica 29°. 26′. 46″ ♉, in orbita 30 29°. 24′. 33″ ♉. Per hanc corrigitur jam vicissim et vera latitudo, ut sit 48′. 7″, et ablatâ parallaxi, visa lat. 4′. 52″.

Cùm igitur sit horarius Solis 2′. 24″, Lunae verus 33′. 13″, et duratio Dantisci fuerit H. 2. 32′: competens motus Solis quidem 6′. 0″, Lunae verò 1°. 24′. 9″: Ita fit locus Solis 0°. 21′. 49″ ♊, Lunae in orbita 0°. 48′. 42″ ♊, distans à ♋ 7°. 19′, quae dat reductionem 1′. 53″, lat. 40′. 27″: fit itaque locus eclipticus 0°. 50′. 35″ ♊. Oritur autem Dantisci ad hoc tempus apparens 28°. 22′ ♌, itaque ☽ vix 2½ gradibus à nonagesimo vergit in ortum, parallaxin faciens longitudinis 2′. 9″, latitudinis 35′. 0″. Visa igitur esset in 0°. 52′. 44″ ♊ eclipticae, cum latitudine visa 5′. 27″, quae exiguo major est initiali visâ; Luna igitur 40 per 30′. 55″ superavisset Solem, distantibus centris paulò longiùs, scilicet 31′. 23″. At quia utimur jam summâ semidiametrorum (hoc est, distantiâ centrorum in principio) 30′. 30″: per hanc igitur et visam latitudinem 5′. 27″ elicimus superationem visam in eclipticâ tantùm 30′. 2″. Quo igitur momento Dantisci scribitur observatus esse finis, invenimus nos ex calculo adaptato distantiam centrorum jam majorem per 0′. 53″. Sanè quidem et Luna vertici propinqua jam circiter dimidio minuto major apparet, quàm in ortu; et amictus aërius globi Lunaris potuit causari durationem tantulo longiorem. Denique dum du-

bitat observator, finis merus sit, nec ne, facilè minutum abit. Contenti simus hac propinquitate, quòd computamus durationem H. 2. 30′ pro observatâ H. 2. 32.

Pro quantitate defectus: cùm fuerit visa latitudo initialis 4′. 52″, finalis 5′. 27″, ergò in medio fuit 5′. 4″; quae ablata à summâ semidiametrorum 30′. 30″, relinquit 25′. 26″, qui sunt digiti ferè 10; satis propinquè observationi; prodeat enim observator, qui de triente digiti insuper litem mihi audeat movere.

Placet secundò etiam ex Puzbachianâ observatione finis eruere locum Lunae, ut de differentiâ meridianorum statuere possimus, secundùm Praecept. 176.

Igitur Horâ 9. 54¾′ sub Alt. Poli 50°. 27′ oritur 15° ♌, et Luna existens visibiliter circa 0. 54′ ♊, distat à nonagesimo 16°, parallaxin habens 13′. 10″ in ortum, 35′. 19″ in latum. Verè igitur fuit circa 0°. 41′ ♊, distans à ♍ circiter 7°. 27′, quae dat latitudinem circiter 41′. 11″. Subtractâ parallaxi, fit visa lat. circiter 5′. 52″, quae cum visâ distantiâ centrorum 30′. 30″ dat visam superationem 29′. 57″, veram ergò 16′. 47″ in ecliptica. Sed prius in fine Dantiscano, cùm visibiliter superasset Solem 30′. 2″, et verè 27′. 53″, numerata fuit H. 11. Superatio major est Puzbachianâ per 11′. 6″, quae per horarium Lunae à Sole 30′. 55″ conficiuntur minutis 21′. 32″. Dantisci igitur Luna fuit H. 10. 38′. 28″, ubi Puzbachij H. 9. 54′. 30″. Fit differentia meridianorum 44′. Si verò Puzbachij desijsset Eclipsis uno minuto ante hanc Solis altitudinem, differentia meridianorum esset 45′, quod secutus sum in Catalogo Tabularum.

Quia utrobique finis Eclipseos fuit adhibitus: nullum est à vitiosa diametro Lunae periculum.

Per aequationem temporis physicam addendo 16′. 51″ ad tempus aequale, computo hac vice satis exactè idem, quod est in his observationibus, astronomica longiùs abit ab observatione, TYCHONIS medio loco se habet.[1]


Caeterùm apparitio universalis per totum Terrarum orbem cum praecipuis phasibus sic habet in praesenti schemate. Cùm tempus anomalicum Dier. 6. H. 15. 25′. 1″ det Parallaxin Lunae 60′. 39″, per correctum ergò Praec. 149. Tabularum Rudolphi haec erit semidiameter disci Terrae AM, AR, AN, AS vel AO. *R3v* †

Typus occultationum Solis omnimodarum per omnem Terram

Cùmque sit parallaxis Solis 0′. 59″, semidiametri Solis 15′. 4″, Lunae 15′. 26″: fiet AB, AE 91′. 38″. Per distantiam verò Lunae à nodo ♍ prodit latitudo 45′. 40″, quae augmentata legitimè fit AC 46′. 26″, et NV sunt digiti lucentes residui in extremo septentrione. Prodeunt igitur BC vel CE 1°. 19′, et RC 39′. 1″. Prutenicae, respicientes ad T in circulo latitudinis ATQ, faciunt RT, et TS inaequales. Et cum horarius Solis sit 2′. 24″, Lunae 33′. 13″, erit Lunae à Sole 30′. 49″, augmentatus verò ob projectionem in discum 31′. 19″. Ergò tempus, quo umbra Lunae peragrat tractum Terrarum RS, fit Hora 2. 29′. 34″, caditque locus R circa Insulam Corvi inter Azoras: ibi Sol oritur tectus totaliter, quia major est semidiameter Lunae; sic locus S est ultra Japoniam in Oceano exteriori, ibi Sol occidit totaliter tectus. Et C locus cadit in Finnoniam ad sinum Boddicum, ibi Sol in nonagesimo deficit totaliter. At in loco M oritur Sol jam

29) semidiametros

incipiens deficere: atque ille est multò orientalior Azoribus. Sic in loco O desinens deficere occidit, cùm multò is sit occidentalior Japonibus. Reliqua loca Terrarum, perstricta à penumbra, vident initium, medium, seu totalem obtenebrationem, et finem, Sole supra horizontem elevato. HIK limes est Terrarum, quem peragrat margo penumbrae L. P meridionalissimus, estque locus H, ad quem usque pertingit sensus minimus Eclipsis versus meridiem, hic, inquam, est occidentalior Azoribus, K orientalior Japonibus.



Secunda Eclipsis Lunae partialis contigit die 4. Junij ante meridiem, centro umbrae in A, 13°. 35′ Sagittarij, Lunâ in C, eratque maxima obscuratio NI
10 digitorum 10¼ horâ aequali 19. 33′. 11″ post meridiem antecedentem Vrani-
R4 burgicum. Incepit ho|râ 17. 52′. 51″, desivit horâ 21. 13′. 31″, quippè tempora incidentiae BC et emersionis CE sunt aequalia, contrà quàm apud Prutenicas, BT et TE, terminata ad circulum latitudinis AQ. Atqui, ut AC minor est quàm AT, sic residua CN est major quàm residua TQ. Et sic maxima obscuratio in C, non in T.


Tota sub Horizonte occiduo disparuit. Trans Aequatorem tamen, qui sub Vraniburgico meridiano habitant, principium videre potuerunt, reliqua Americani, et qui ultra eos.

Typus Eclipsium Lunae

20 Tertia Eclipsis, rursum in Sole, totalis fuit in Hemisphaerio australi die 13. Novembris, Sole in 21°. 22′ ♏, ☋ in 28°. 48′ ♏, cujus medium erat horâ aequali 3. 5′. 32″ Vraniburgicâ; veruntamen penumbra non pertigit usque ad loca eclipticae, Solis loco subjecta, sic ut Luna vix circa caput Bonae Spei australem Solis oram stringere sit visa: quod reliquum fuit, totum in Magellanicam incognitam recidit. Discus AV, AM erat 62′. 35″, penumbra 32′. 4″.

† Quartam Eclipsin, quae Lunae fuit, observavi Lincij, coelo admodum turbido, ut vix Lunam, nedum stellas, accuratè cernerem. Horam urbis correxi per altitudinem Lunae, adhibitâ parallaxi. Ergò Horâ 14. 33′ jam fuit animadversus

defectus, quasi ad sinistram à summo margine. Hora 15. 20′ aequiparabam sectionis umbrosae longitudinem quasi lateri trianguli isopleuri; ergò illo momento, quod antecessit medium, plus quàm 3 digitis deficiebat. Finis, iterum ex altitudine Lunae, H. 16. 34′. Duratio ejus, quod observari potuit in turbido aëre, H. 2. 1′. Medium H. 15. 33′ s. apparenti, quod fuisset Vraniburgi H. 15.



23′ s. apparenti. Computatur verò ad 28. Nov. H. 15. 14′ aequali Vraniburgi, et per aequationem temporis Tychonicam ad horam 15. 19′ s. medium Eclipsis, ☉ in 7°. 7′ ♐, digiti supra 4, duratio H. 2. 19′. Erat enim semidiameter umbrae 45′. 33″, latitudinis arcus 50′. 13″. †

1) 3.20 *statt* 15.20

Iuliani	Gregoriani	♄ Longi.	La.	♃ Longi.	La.	♂ Longi.	La.	☉ Longitudo	♀ Longi.	La.	☿ Longi.	La.	☽ Longi.	Lati.	☊ Lō
		♑ Gr. Mi.	MAO	♉ Gr. Mi.	MAI	♎ Gr. Mi.	SAI	♈ Gr. Mi. Se.	♏ Gr. Mi.	SD 2	♐ Gr. Mi.	MAO	♈ Gr. Mi.	SD G. M.	♑ ♋
22	1 Circ. Chr	2.42	51	11. 7	3	22.31	43	11.24.21	26.14	46	0.40	50	15.52	4.35	32
23	2	2.37	51	11. 6	2	23. 1	43	12.25.39	27.22	45	1.31	35	28.20	3.55	29
24	C. 3	2.33	51	11. 5	2	23.31	43	13.26.56	28.31	44	2.17	20	11. 9	3. 3	26
25	4	2.28	51	11. 5	2	24. 1	44	14.28.14	29.39	42	2.54	7	24.23	1.59	23
26	5	2.23	50	Dir. 11. 5	2	24.32	44	15.29.31	♑ 0.48	41	3.23	S 8	♊ 8. 6	0.47	20
27	Epiphan. 6	2.18	50	11. 5	2	25. 2	44	16.30.48	1.57	39	3.42	25	22.15	M 0.31	16
28	7	2.13	50	11. 6	1	25.32	44	17.32. 4	3. 7	38	Rc: 3.49	44	♋ 6.52	1.48	13
29	8	2. 8	50	11. 8	1	26. 2	44	18.33.20	4.16	36	3.44	I 5	21.46	2.58	10
30	9	2. 4	50	11. 9	1	26.33	45	19.34.35	5.26	34	3.30	23	♌ 6.54	4. 0	7
31	C. 1. 10	1.59	49	11.11	0	27. 3	45	20.35.50	6.36	32	3. 7	39	21.56	4.43	4
1	11	1.54	49	11.12	0	27.33	45	21.37. 4	7.46	30	2.31	56	♍ 6.52	5. 7	♑ 0
2	12	1.49	49	11.14	0	28. 3	45	22.38.18	8.57	27	1.34	2 14	21.29	5.10	I 4 57
3	13	1.44	49	11.15	0	28.32	45	23.39.31	10. 7	25	0.32	30	♎ 5.45	4.54	54
4	14	1.40	49	11.17	0	29. 2	45	24.40.43	11.17	23	♑ 29.24	45	19.37	4.21	51
5	15	1.35	49	11.19	59	♍ 29.32	45	25.41.55	12.28	20	28.12	S 3	♍ 3. 6	3.34	48
6	16	1.31	48	11.21	59	0. 2	45	26.43. 6	13.38	18	26.54	S 8	16.12	2.37	45
7	C. 2. 17	1.27	48	11.23	59	0.32	46	27.44.16	14.49	15	25.35	17	29. 6	1.32	41
8	18	1.22	48	11.26	59	1. 1	46	28.45.25	16. 0	13	24.18	25	♑ 11.44	0.25	S 32
9	19	1.18	48	11.28	59	1.31	46	29.46.34	17.10	10	23. 4	29	24.10	0.43	35
10	20	1.14	48	11.31	58	2. 0	46	♒ 0.47.42	18.21	7	21.54	30	♌ 6.28	1.47	32
11	21	1.10	48	11.34	58	2.30	46	1.48.49	19.31	4	20.53	D 29	18.38	2.46	29
12	Vincēt. 22	1. 6	47	11.37	58	2.59	46	2.49.55	20.42	1	20. 1	26	♍ 0.43	3.37	26
13	23	1. 3	47	11.40	58	3.28	46	3.51. 0	21.53	I 58	19.16	21	12.41	4.17	22
14	C. 3. 24	0.59	47	11.44	58	3.56	46	4.52. 4	23. 4	55	18.40	14	24.39	4.46	19
15	Cōv. Pa 25	0.55	47	11.47	57	4.24	47	5.53. 6	24.16	52	18.13	7 2	♎ 0.34	5. 3	16
16	26	0.52	47	11.51	57	4.52	47	6.54. 7	25.27	49	17.54	57	18.29	5. 5	D 13
17	27	0.48	47	11.54	57	5.19	47	7.55. 7	26.39	46	17.44	48	♏ 0.26	4.55	10
18	28	0.45	47	11.58	57	5.46	47	8.56. 6	27.50	43	17.42	39	13.28	4.33	6
19	29	0.42	46	12. 2	56	6.13	47	9.57. 4	29. 2	40	Di: 17.51	28	24.39	3.58	3
20	30	0.39	46	12. 6	56	6.39	47	10.58. 1	♒ 0.14	36	18. 2	18	♐ 7. 4	3.10	0 I 57
21	C. 4. 31	0.39	46	12.10	56	7. 5	47	11.58.56	1.26	33	18.21	7	19.46	2.12	

Calendis erat vapor tenuis, cujus signum tepor; clarius, ventus d. 2. A 4. ad 7. Quincuncs & decilem *Nebulæ* & pluvia arguebant, magis tamen stantem ☿ in ☌ ☿ dic 7.8. D. 12. quincuncem alium humor pruinosus. Sed die 14. & 17. opti nè sapiebant □ ♂ ☿. ☿ ☉ ☿ Dies 20 ventō ex △ ♄ ♂. Illius verò □ ☉ ♂. d. 21. 22 magna etiam penes nos evidentia: major tamen ex frigore consequenti. Nam à d. 14 in 22 proculdubiò plurimum ninxit in Oriente, indè venti postea frigidissimi, quos tamen adhuc interturbat evanoratio penes nos, propter stimulos diei 16 19. 22 Ita hi Euri non sunt ex peculiari stimulo, sed ex sublunari

Iuliani	Gregoriani	LVNÆ cum ♄ Occi.	♃ Occi.	♂ Orié.	☉	♀ Orié.	☿ Occi.	Phases Lunæ	INFERIORVM ☿ Cum	♀ Cum	☉ Cum	SVPERIORVM inter se
												Status aeris in VVirtembergia et Vindelico
22	1				□			12.31		· ♄ ☌	♃ △	Lene clarum
23	2	✳		♂			□	☾				Ventus siccans
24	3		♂ ·		· △				· ♄ ☍			Sudum p. ventus
25	4					♂	△					♃ stat. Neb p sudum
26	5											frigus intendebatur
27	6			· △				♌	Statio.	· ♄ ☍		neb. hirsutum
28	7	♂	✳					18. 4				post gelu pluvia
29	8			□	♂ ·			○ ·	☿ ✳			Nimbi
30	9		□			△ ·	♂ ·					Vdum obscurum
31	10			✳				Perigæ.				Pluviola
1	11	✳	△			· □						Clarum gelu
2	12				· △				♄ ☍ ·			Frigus vapidum
3	13	□					△					Crassa nebula
4	14					✳		☾ 11. 11	♂ □	· ♃ ☍		Nebula nox pluvia
5	15	△ ·		♂	□		□					Leni Su
6	16		♂				Orié.		☉ ☽ ·			us dum
7	17				✳ ·		✳					Iris meridiana ven
8	18					♂		♌				Apri tus
9	19	♂								· ♃ ☌		♂ ♄ △ cum
10	20		△	✳							♄ ☍	Ventus frigid. gelu
11	21						· ♂					Tepor obscurum
12	22			· □	· ♂			● 6. 6	☿ ☍		♂ □	Venti pluvia
13	23		□ ·									Sudum
14	24					✳ ·		Apogæ.				Su Fri Eu
15	25	△		△ ·								dum gus ri Nin
16	26		✳				✳ ·				♄ ☌ ·	Sud in Eu gid
17	27	· □				□						um ten · Nin
18	28				✳		□		♂ ♃ ·			fis · xit
19	29					△			Statio.			
20	30	✳		♂ ·				☾ 6. 14				Su si ·
21	31		♂		□		△ ·			♄ ♂		dum mum ri
											· ♃ □	Frigus sonticum.

materiali causa, nive jactâ; sunt respectu siderum ἀντιμεσουρανία. Die 25 occidens *Sol* signa frigoris futuri dedit, sparsos radios per albas nubes. Dies 27. 28 arguit Mercurium in ♃ ♂. At die 30 credendum est, frigori interfusum fuisse humidum vaporem ex ♂ ♄ ☿. Ergò ἰσχὺς vitium radices ipsæ. Die 29 mane h. 5. terræ motus Ratisbonæ subobscurè animadversus. Confer Aristotelem; similis enim erat aeris constitutio, cùm oppida Peloponesi terræ motu subversa. Sc. cùm terræ motus est, terra continet expirationes. Euri verò fluunt sine hisce, ex liquatione nivium orientis,

S

Iuliani	Gregoriani	☿ Longi. Gr. Mi.	☿ La.	♃ Longi. Gr. Mi.	♃ La.	♂ Longi. Gr. Mi.	♂ La.	☉ Longitudo. Gr. Mi. Se.	♀ Longi. Gr. Mi.	♀ La.	☿ Longi. Gr. Mi.	☿ La.	☽ Longi. Gr. Mi.	☽ Lat.	☊ Lō
		♒	MAO	♉	MAO	♏	SAI	♒	♓	SDI	♓	SDI	♊	SD	♈
22	1	0.34	46	12.14	56	7.30	47	12.59.50	2.38	30	18.47	55	2.50	1. 6 M	54
23	*Purif Ma* 2	0.31	46	12.19	55	7.55	47	14. 0.43	3.50	26	19.15	43	16.21	0. 6	51
24	3	0.28	46	12.24	55	8.19	47	15. 1.35	5. 2	23	19.49	32	0.24	1.20	47
25	4	0.26	46	12.30	55	8.44	48	16. 2.26	6.14	20	20.29	21	14.55	2.32	44
26	5	0.23	46	12.35	55	9. 9	48	17. 3.15	7.26	16	21.16	10	29.53	3.35	41
27	6	0.21	45	12.41	54	9.33	48 D	18. 4. 3	8.38	13	22. 6	59	13. 8	4.24	38
28	*CSeptua.* 7	0.19	45	12.47	54	9.58	48	19. 4.49	9.50	10	22.57	48	0.32	4.53 A	35
29	8	0.16	45	12.54	54	10.22	48	20. 5.32	11. 2	6	23.50	38	15.48	5. 3	31
30	9	0.14	45	13. 0	54	10.46	48	21. 6.14	12.14	3	24.47	29	0.47	4.51	28
31	10	0.12	45	13. 7	53	11.10	47	22. 6.54	13.27	59	25.48	19	15.21	4.20	25
1	11	0. 9	45	13.14	53	11.33	47	23. 7.33	14.39	56	26.53	10	29.26	3.35	22
2	12	0. 7	45	13.21	53	11.57	47	24. 8.10	15.51	52	28. 0	2 M	13. 0	2.38	19
3	13	0. 5	44	13.29	53	12.20	47	25. 8.45	17. 3	49	29. 8	7	26. 7	1.35	16
4	*CSexa.* 14	0. 3	44	13.37	52	12.43	47	26. 9.18	18.16	45	0.18	16	8.52	0.28 S	12
5	15	0. 0	44	13.45	52	13. 5	47	27. 9.49	19.28	42	1.29	26	21.19	0.38	9
6	16	29.58 II	44	13.53	52	13.27	47	28.10.18	20.40	38	2.42	37	3.33	1.41	6
7	17	29.56	44	14. 2	52	13.49	47	29.10.45	21.52	35	3.57	46	15.39	2.39	3
8	18	29.55	44	14.10	51	14.11	47	0.11.11	23. 5	31	5.14	54	27.39	3.29	0
9	19	29.54	43	14.18	51	14.32	47	1.11.35	24.17	28	6.33	1 I	9.35	4.10	12 56
10	20	29.54	43	14.27	51	14.54	47	2.11.57	25.30	25	7.53	7	21.32	4.39	53
11	*CEfi.m* 21	29.53	43	14.37	50	15.15	46	3.12.17	26.43	21	9.15	13	3.28	4.56 D	50
12	*Cat Pet* 22	29.53	43	14.46	50	15.36	46	4.12.35	27.55	18	10.39	19	15.27	5. 0	47
13	23	29.52	43	14.56	50	15.56	46	5.12.51	29. 8	15	12. 4	25	27.28	4.51	44
14	*Matth.* 24	29.51	43	15. 6	50	16.16	46	6.13. 6	0.21	12	13.29	31	9.35	4.29	41
15	25	29.51	42	15.17	49	16.35	45	7.13.20	1.33	8	14.55	37	21.44	3.54	38
16	26	29.50	42	15.27	49	16.54	45	8.13.32	2.46	5	16.21	42	4. 2	3. 8	35
17	27	Di: 29.50	42	15.37	49	17.13	45	9.13.42	3.59	2 M	17.49	47	16.31	2.13	31
18	*CInvoc.* 28	29.50	42	15.48	49	17.31	45	10.13.50	5.12	2	19.19	51	29.12	1.10	28

Calendis ventus, ob asp Prid. & III. Cal. Sequentia vt priora. D. e 6, vapor; signum ☋ ☌ ☿, & d. 8. 9. vapor ventusque, ex ☍ ☌ ☿, △ ☿ ♃. Etsi die 11 Luna quoque tribus configuratis accedens, evaporationem promovit: Vbi dies 13 & 14, quincunci ♄ ☿ permitti possunt. Oppositio ♃ ☌ dies ante &

Iuliani	Gregoriani	LVNÆ cum ♄ Occi.	♃ Occi.	♂ Orié.	☉	♀ Orié.	☿ Orié.	Phases Lunæ.	INFERIORVM ☿ cum	♀ cum	☉ cum	SVPERIORVM inter se *Status aeris Ratisbonæ ad Danubium.*
22	1											Ventus frigidissimus
23	2				△			♍.				Clar. Cõcretus Dãub.
24	3	☌				☍						Frigus im Nivulæ
25	4		✳	△			☍					ma Su
26	5								☌ ♃.			ne dum
27	6		□	□	☍			☌ 4. 16 Perigæa				Lenius
28	7	✳				△				☌ ✳	tardus.	Frigus Clarum
29	8		△	✳			△					remissius
30	9	□					△					Turb p.ven
31	10					□				♃ △		idum ti
1	11	△			△		□					ſudum
2	12		☍	☌		☍		23.50 ☾.				Frigus re
3	13				□		✳					misit Nebula
4	14							♋	♄ ☌.			Ventus acris
5	15	☍										Soles
6	16				✳							Ven Nivu
7	17		△	✳		☌						tus læ
8	18								♄ ☍		♄ △	☌ ♃ ☍ .ventus vali
9	19		□	□			☌					nubes te dus
10	20	△						23. 6 Apogæa ●.			☍ ♃	Ventus de por
11	21				☌					☌ ♃		cumanus ninxit
12	22		✳	△								Pluvi Nngi
13	23	□				✳				♄ ☍		um dũm
14	24						☌					Nebula obscuriſs.
15	25								♃ □			Turbi
16	26	✳			☌	□			☌ □			dum ventus
17	27		☌	☍			□					♄ *Statio* turbid. Plu
18	28					△						it larg.

post infestat, etsi adjumēta habuit passim. Nam ab 18 in 20, Sol à △ ♄ in ☋ ♃, & Luna d. 20 in □ ♃ ☌ opp Die 22 23 sentis ☋ ☌ ☿. Dici 24 effectus Nebula, quia tepor ingruebat. Et quia ☿ à □ ♃ in □ ☌ oppositorum, igitur prodigiosus ille ventus Viennæ, & pluvia. Animadverte ventos singulis locis præcipuè incumbere, prout montium alius præ alio expirat.

Iuliani	Gregoriani	☿ Longi.	☿ La.	♃ Longi.	♃ La.	♂ Longi.	♂ La.	☉ Longitudo.	♀ Longi.	♀ La.	☿ Longi.	☿ La.	☽ Longi.	☽ Lat.	☊ Lō
		☊	MAO	♉	MAO	♍	SDI	♈	♒	MDO	♒	MDI	♊	SD	↔
		Gr. Mi.		Gr. Mi.		Gr. Mi.		Gr. Mi. Se.	Gr. Mi.		Gr. Mi.		Gr. Mi.	G. M.	I 2
19	1	29.51	42	15.58	49	17.49	44	11.13.55	6.24	5	20.50	55	12.12	0. 2	25
20	2	29.51	41	16. 8	48	18. 6	44	12.13.58	7.37	8	22.23	58	25.40	M 1. 9	22
21 *Angaria.*	3	29.51	41	16.18	48	18.22	44	13.13.59	8.50	12	23.57	2 1	♌ 9.21	2.17	18
22	4	29.52	41	16.29	48	18.38	44	14.13.58	10. 3	15	25.33	4	22.36	3.19	15
23	5	29.52	41	16.39	48	18.53	43	15.13.54	11.16	18	27.10	6	♎ 8.20	4.10	12
24	6	29.53	41	16.49	47	19. 8	43	16.13.48	12.28	21	28.49	8	23.36	4.45	9
25 *C Remin.*	7	29.53	41	16.59	47	19.22	43	17.13.40	13.41	24	♈ 0.29	9	♍ 8.44	4.59	6
26	8	29.54	41	17.10	47	19.36	42	18.13.30	14.54	27	2.10	11	24. 3	A 4.54	♋ 2
27	9	29.55	40	17.20	47	19.49	42	19.13.18	16. 7	29	3.51	12	♏ 9.11	4.26	II 59
28	10	29.56	40	17.30	47	20. 2	41	20.13. 4	17.20	32	5.33	A 12	23.56	3.48	56
1	11	29.58	40	17.41	46	20.14	41	21.12.48	18.33	35	7.15	10	♐ 8.14	2.44	53
2	12	29.59	40	17.51	46	20.26	40	22.12.30	19.46	37	8.58	9	21.59	1.39	50
3	13	♋ 0. 0	40	18. 2	46	20.37	40	23.12.10	21. 0	40	10.41	7	♑ 5.14	S 0.30	47
4 *C. Oculs*	14	0. 2	40	18.12	46	20.48	39	24.11.47	22.13	43	12.25	5	18. 1	1.38	43
5	15	0. 3	39	18.23	46	20.58	38	25.11.22	23.26	45	14.10	2 I	♒ 0.31	1.42	40
6	16	0. 4	39	18.34	46	21. 8	38	26.10.55	24.40	48	15.56	0	12.39	2.40	37
7	17	0. 6	39	18.45	45	21.17	37	27.10.26	25.53	50	17.44	57	♓ 24.39	3.30	34
8	18	0. 7	39	18.55	45	21.25	37	28. 9.55	27. 6	53	19.34	54	♈ 6.33	4.10	31
9	19	0. 9	39	19. 6	45	21.33	36	29. 9.22	28.19	55	21.28	51	18.26	4.40	27
10	20	0.11	38	19.17	45	21.40	35	♌ 0. 8.47	29.32	58	23.23	48	♉ 0.26	4.58	24
11 *C Latar*	21	0.13	38	19.28	45	21.37	34	1. 8. 9	♍ 0.46	♍ I 0	25.21	44	12.20	D 5. 2	21
12	22	0.16	38	19.39	45	21.53	34	2. 7.28	1.59	2	27.19	39	24.15	4.53	18
13	23	0.18	38	19.50	44	21.59	33	3. 6.46	3.12	4	29.17	33	♊ 6.26	4.31	15
14	24	0.21	38	20. 2	44	22. 4	32	4. 6. 2	4.25	6	♎ 1.16	26	18.42	5.56	12
15 *An Mar*	25	0.24	37	20.13	44	22. 8	31	5. 5.16	5.38	8	3.16	19	♑ 1. 5	5.10	8
16	26	0.26	37	20.24	44	22.11	30	6. 4.28	6.51	9	5.16	11	13.38	2.14	5
17	27	0.29	37	20.36	44	22.14	29	7. 3.37	8. 4	11	7.18	2 ♌	26.18	1.10	2
18 *C. Indic*	28	0.32	37	20.48	44	22.16	28	8. 2.44	9.17	13	9.21	53	♋ 9.10	0. 2	IO 59
19	29	0.35	37	21. 0	43	22.17	27	9. 1.49	10.30	15	11.25	43	22.16	M 1. 8	56
20	30	0.38	36	21.12	43	Re: 22.17	26	10. 0.52	11.43	17	13.30	33	♌ 5.38	2.16	53
21	31	0.42	36	21.25	43	22.16	25	10.59.52	12.57	18	15.35	24	19.19	3.17	49

Die 9 Saturnus viſus eſt ſupra ſtellam calcis Geminorum in 0°.1'. Cancri, quaſi ſextâ parte diſtantiæ duarum ſuperior. Erat Saturnus à linea ſtellarum parùm ad dextram & occidentem; præcisè vtrumque, & vix quidem, capiebat Inſtrumentum meum, id eſt 13 vel 14 minuta. Angulus cum duabus ad Saturnum nondum rectus. Die 13 nondum rectus ſed tamen Saturnus jam vltrà lineam ſuperiorum ſtellarum, quaſi in linea inferiorum, ſummâ & proximâ dempta. Hæ duæ ſtellæ ſunt illæ ipſæ, ad quas contuli Lunam eclipſatam An. 1619. Vide ne errorem habeat illarum longitudo & latitudo. Agnoſce ☌ ☿ ☽ in ♊ & ſeq. In reſolutiõe frigoris nihil mirũ,

Iuliani	Gregoriani	LVNÆ cum ☿ Occi.	♃ Occi.	♂ Orié.	☉	♀ Orié.	☿ Orié.	Phaſes Lunæ.	INFERIORVM ☿ cum	♀ cum	☉ cum	SVPERIORVM inter ſe *Status aeris Ratisbonæ ad Danubium.*
19	1				□·	△		☌ 0.12		♄ ☌		Soles. ſoluta glacies
20	2	☍					△	☽ ♌				Nebula humecta
21	3		✶	△	△							Nimbi So
22	4											Nimbi les
23	5					·☍						Pluvia obſcurum
24	6	✶·	□	□			☍	Perigæ.				ſere Gela
25	7								♄ △		♃ ✶	num vit
26	8	□	△	✶	☍			14.18 ☾				So Pluit noctu
27	9											l
28	10	△				△			♃ ☌ ·	♃ □	♂ △ ·	es
1	11						△·					Pluit
2	12		☍	☌ ·	△ ·	□ ·						se
3	13							☊		♂ □		re
4	14					✶	□	14.53 ☾				num
5	15	☍ ·			□							Pluit
6	16		△	✶			✶					So
7	17				·✶							les pluit
8	18								♃ ✶			Incon Nu
9	19		·□	□								ſtans bes
10	20	△ ·				☌ ·		Apogæ.	·♂ △		. ♄ □	ſol. Aura gelida
11	21									♄ △		Nix pluit lar
12	22	□	✶	△ ·			☌	17. 2 ●				giter
13	23				☌					☉ ✳ ·		Ob Noct
14	24								♄ □			ſcu es plu
15	25	✶·				✶						rum viæ
16	26											Venti fri
17	27		☌	☍			Occi.		☉ ☌ ·			gidi Gelavit
18	28				✶ ·	□ ·	✶	♍	☿ ✳	♃ ♄		Ninxit
19	29	☌								Ningi	dum.	☌ Statio in ☍ ♃
20	30				□	△	□	☌ 6.34 ☽		ſerenũ	frigus	et in ☌ ♄ platico.
21	31		✶	△					♂ ☆			Nix pluvia

nimbos eſſe propter ripam magni fluvij, etiã ſine ſtimulis aſpectuum vlterioribus. At die 6 jam △ ♄ ☿, ventum, & tandẽ d. 8 pluviã. Et triplex aſpectus diei 10 agnoſcitur d. 11, & ex tepore circumſtantiũ. Vides ex □ ♂ ♀ d. 13. ventos ſubtiles ortos, qui cœlum verrebant. Ne dubites, in mõtanis ninxiſſe. De 15 & 17 cenſeo, vt de 3. 4. &c. D. 18 19 ☿ velox, etſi pulſatur ✶ ♃, □ ♂, celeriter tamẽ trãsvolat, & ſolus eſt; movet, nõ pmovet. Terra lentũ animal. Niſi d. 17, huc etiã referas. Accelſus v. □ ☉ ♄, & præſertim △ ♀ ♄, & ☍ ☉ ♀, & deniq; □ ♄ ☿ vides effectũ. Sic imminens ♂ ☿ ♀ ventos prætulit, tandẽ nivẽ, & ilta continua, quia revertitur ☌ ♃ ♂.

Iuliani	Gregoriani	♄ Longi. Gr. Mi.	La. M A O	♃ Longi. Gr. Mi.	La. M A O	♂ Longi. Gr. Mi.	La. S D I	☉ Longitudo. Gr. Mi. Se.	♀ Longi. Gr. Mi.	La. M D I	☿ Longi. Gr. Mi.	La. M A O	☽ Longi. Gr. Mi.	Lat. M D G. M.	☊ Lõ ☩ 10
22	1	0.45	36	21.37	43	22.14	23	11.58.50	14.10	20	17.40	15	3.20	4. 7	46
23	2	0.48	36	21.49	43	22.11	22	12.57.45	15.23	21	19.44	5	17.43	4.47	43
24	3	0.52	36	22. 2	43	22. 7	21	13.56.38	16.37	22	21.47	6	2.26	5. 4	40
25	C Palmar 4	0.55	35	22.15	42	22. 3	20	14.55.29	17.50	24	23.49	17	17.22	5. 4	37
26	5	0.59	35	22.28	42	21.58	18	15.54.18	19. 3	25	25.51	28	2.24	4.41	33
27	6	1. 3	35	22.40	42	21.53	16	16.53. 5	20.16	26	27.52	40	17.19	4. 1	30
28	7	1. 7	35	22.53	42	21.47	15	17.51.50	21.30	27	29.51	51	2. 0	3. 4	27
29	Viridium 8	1.11	34	23. 6	42	21.40	13	18.50.33	22.43	28	1.49	1	16.19	1.58	24
30	Pass Dom 9	1.15	34	23.19	42	21.32	11	19.49.14	23.56	29	3.44	10	0. 9	0.46	21
31	10	1.19	34	23.31	41	21.24	9	20.47.53	25. 9	29	5.36	20	13.31	0.26	17
1	C Pasch 11	1.23	34	23.44	41	21.15	8	21.46.30	26.23	30	7.25	31	26.26	1.35	14
2	12	1.28	33	23.57	41	21. 5	6	22.45. 5	27.36	31	9.10	42	8.58	2.37	11
3	13	1.32	33	24.10	41	20.54	4	23.43.38	28.49	31	10.52	52	21.11	3.30	8
4	14	1.36	33	24.23	41	20.43	2	24.42. 8	0. 3	32	12.29	2	3.11	4.13	5
5	15	1.41	33	24.37	41	20.31	0	25.40.36	1.16	32	14. 3	9	15. 4	4.44	2
6	16	1.46	33	24.50	40	20.18	58	26.39. 2	2.29	33	15.32	16	26.54	5. 3	58
7	17	1.50	32	25. 3	40	20. 5	56	27.37.26	3.42	33	16.56	22	8.47	5.10	55
8	C Quasi 18	1.55	32	25.16	40	19.51	53	28.35.48	4.56	34	18.15	28	20.44	5. 3	52
9	19	2. 0	32	25.30	40	19.37	51	29.34. 8	6. 9	34	19.31	33	2.49	4.42	49
10	20	2. 4	32	25.43	40	19.22	49	0.32.26	7.22	34	20.43	37	15. 4	4. 9	46
11	21	2. 9	32	25.56	40	19. 6	47	1.30.43	8.35	35	21.47	40	27.29	3.24	43
12	22	2.14	32	26. 9	39	18.50	44	2.28.58	9.49	35	22.44	42	10. 7	2.26	39
13	23	2.19	32	26.23	39	18.33	42	3.27.11	11. 2	35	23.33	43	22.57	1.21	36
14	Georgii 24	2.24	32	26.36	39	18.16	39	4.25.22	12.15	34	24.26	45	5.58	0.11	33
15	C Miser 25	2.30	31	26.49	39	17.58	37	5.23.31	13.28	34	25.12	42	19.10	1. 1	30
16	26	2.35	31	27. 3	39	17.40	35	6.21.38	14.42	34	25.51	40	2.33	2.12	27
17	27	2.41	31	27.16	39	17.21	32	7.19.43	15.55	33	26.23	37	16. 7	3.15	23
18	28	2.47	31	27.39	39	17. 1	30	8.17.46	17. 8	33	26.50	32	29.53	4. 8	20
19	29	2.52	31	27.43	38	16.41	28	9.15.47	18.22	33	27.13	27	13.51	4.47	17
20	30	2.58	31	27.56	38	16.20	25	10.13.47	19.35	32	27.32	20	28. 1	5.10	14

Vsque ad d. ☿ respondet aer. Die 10 intellige durantem ex d. ☉ imperum naturæ, & accedentem Quincuncem Solis & Martis. At die 15 □ ♄ ♀ habet magnam lat. Sept. Aspectus incompletus. Die 22, 24

Iuliani	Gregoriani	LVNÆ cum ♄ Occi.	♃ Occi.	♂ Oriẽ.	☉	♀ Oriẽ.	☿ Occi.	Phases Lunæ.	INFERIORVM ☿ Cum	♀ Cum	☉ Cum	SVPERIORVM inter se. *Status aeris in Bauaria, Norico et Suevia.*
22	1				△		·△		♄ ♌			Ningi Gelavit
23	2		□·	□·								dum larga pluvia
24	3	☍·						Perigæ.	·♃ ☍			♂ ♃ ☿ *tard.* Sol
25	4		△·	·☍		·☿			♂ ☍			Gelida pluvia
26	5	□·						23.29			·♂ ☍	Fr Turbidum
27	6				☿·			☊				i Venti plu
28	7	△·					☿·			·♂ △		g viæ
29	8		☿·	·☌		·△			♄ ☍·	♃ ☍	♄ ♌	i Nimbi grãdinosi
30	9											dum ningidum
31	10							♋				Nivosa gran- To
1	11	☿			△	□·					♂ ☍	do nuit
2	12						·△					Fri nimbi Sol incõ
3	13		△	☍·	·□			7.33 ☾				gidum stans
4	14					☍·					♃ ☍	Tur Hu
5	15			□			□·			♄ □		b n
6	16	△	□·		☍·							id id
7	17							Apogæa				um um ve
8	18		☍·	△·			☍·					Fri So nt
9	19	□·				☌			·♂ ☌			gi l to
10	20											dum es sũ
11	21	☍			☌			6.29 ●				le ſe
12	22										♄ ☍	nius re
13	23		☌	☌			·☌					Æſtus num
14	24							♍		·♂ ☍		Tonitru pluvia
15	25					·☍						Te Su
16	26	·☌			·☍							por dum vẽtus
17	27			·△		□·						So Pluviola
18	28		☍·				☍·	14. 2 ☽		♂ ☍		les Turbidũ
19	29			·□	·□							Humidum
20	30	☍·	□·			△	□·		♃ ☌ *platie.*			Large pluit Tonuit

agnoſce ☍ ♄ ☉ & ☌ ♂ ♀ ex repore & pluvia, & tonitru, creſcente Solis altitudine, Dies 26, 27 habent ſecundarij. Diem 30 juvit Luna in □ junctorum.

Iuliani	Gregoriani	♄ Longi.	La.	♃ Longi.	La.	♂ Longi.	La.	☉ Longitudo.	♀ Longi.	La.	☿ Longi.	La.	☽ Longi.	Lati.	☊ Lō
		♌ Gr. Mi.	MA ○	♉ Gr. Mi.	MA ○	♏ Gr. Mi.	SD ○	♉ Gr. Mi. Se.	♈ Gr. Mi.	MA I	♉ Gr. Mi.	SD 2	♐ Gr. Mi.	MA G.M.	↦ 9
21	1 *Phil. Iac.*	3. 4	31	28.10	38	15.59	23	11.11.45	20.48	32	27.41	11	12.23	5.12	11
22	2 *C Iubilat*	3.10	31	28.24	38	15.38	21	12. 9.41	22. 1	31	27.47	3	26.52	4.57	8
23	3	3.16	31	28.37	38	15.16	18	13. 7.35	23.14	30	27.50	I 52	♎ 11.25	4.22	4
24	4	3.22	31	28.51	38	14.54	15	14. 5.27	24.28	30	Re: 27.46	40	25.55	3.30	1
25	5	3.29	31	29. 5	38	14.32	12	15. 3.17	25.41	29	27.36	28	♏ 10.14	2.26	☊ 58
26	6	3.25	31	29.19	38	14.10	9	16. 1. 6	26.54	28	27.24	14	24.17	1.13	55
27	7	3.41	31	29.32	37	13.48	7	16.58.53	28. 8	27	27. 8	○ 0	↦ 8. 1	S 0. 1	52
28	8	3.48	31	29.46	37	13.27	4	17.56.39	29.21	26	26.47	○ 45	21.21	1.15	48
29	C *Cantat* 9	3.54	31	♊ 0. 0	37	13. 5	1	18.54.23	♉ 0.35	25	26.20	♈ 30	4.18	2.22	45
30	10	4. 0	31	0.14	37	12.44	M 2	19.52. 6	1.48	24	25.52	16	16.54	3.20	42
1	11	4. 6	31	0.28	37	12.22	5	20.49.47	3. 1	22	25.23	3	29.12	4. 8	39
2	12	4.13	31	0.42	37	12. 1	7	21.47.27	4.15	21	24.52	M 12	♒ 11.15	4.43	36
3	13	4.19	30	0.56	37	11.41	10	22.45. 5	5.28	20	24.18	28	23.10	5. 7	33
4	14	4.25	30	1.10	37	11.20	12	23.42.42	6.41	18	23.41	44	♓ 5. 0	5.16	30
5	15	4.32	30	1.25	37	11. 0	15	24.40.18	7.55	17	23. 5	I 2	16.52	D 5.13	26
6	C *Voc Iu* 16	4.38	30	1.39	37	10.40	17	25.37.52	9. 8	15	22.30	23	28.50	4.56	23
7	17	4.45	30	1.53	36	10.21	19	26.35.25	10.22	13	21.57	42	♈ 10.56	4.25	20
8	18	4.51	30	2. 7	36	10. 2	22	27.32.56	11.35	12	21.25	59	23.16	3.43	17
9	19	4.57	30	2.21	36	9.44	25	28.30.26	12.49	10	20.56	2 14	♉ 5.49	2.48	13
10	*Ascens.* 20	5. 4	30	2.35	36	9.26	27	29.27.54	14. 2	8	20.30	29	18.39	1.44	10
11	21	5.10	29	2.49	36	9. 8	30	♊ 0.25.21	15.15	7	20. 6	43	♊ 1.46	0.33 M	7
12	22	5.17	29	3. 4	36	8.51	33	1.22.47	16.29	5	19.43	56	15. 9	0.41	4
13	C *Exaud* 23	5.23	29	3.18	36	8.34	36	2.20.12	17.42	3	19.26	♉ 7	28.47	1.55	1
14	24	5.30	29	3.32	36	8.18	39	3.17.36	18.56	1	19.12	16	♋ 12.36	3. 2	♈ 58
15	25	5.36	29	3.46	36	8. 2	43	4.14.59	20. 9	○ 59	19. 2	25	26.31	4. 0	54
16	26	5.43	29	4. 0	36	7.47	46	5.12.21	21.22	58	18.58	33	♌ 10.35	4.43	51
17	27	5.50	29	4.14	36	7.32	48	6. 9.42	22.36	56	Di: 18.58	40	24.41	5.10	48
18	28	5.57	29	4.28	36	7.18	51	7. 7. 2	23.49	54	19. 1	44	♍ 8.50	A 5.18	45
19	29	6. 5	28	4.42	36	7. 5	54	8. 4.21	25. 3	52	19. 8	47	23. 0	5. 7	42
20	C *Pente* 30	6.12	28	4.55	36	6.52	56	9. 1.39	26.16	50	19.21	51	↦ 7. 9	4.37	39
21	31	6.20	28	5. 9	36	6.40	59	9.58.56	27.30	48	19.37	54	21.14	3.51	35

Die 2.3 agnoscē ♃ ♄ ♀. Die 5. ♂ ☉ ♂, quòd solum æstum excitavit, tribuendum est dispositioni terræ, quæ ob ♂ ♄ ♂ geminam præmissam, parturivit alicubi terræ motum, qui erupit d. 31. in Burgundia superiore & Alsatia. Idem de d.6. ☼ ☿ ☿. Quanquàm æstus vno loco, frequenter indicium dat tempestatis in alio. At die 9 10. Tonitru vnius loci cum pluvia, ex eo fuit, quia defluit. Venus à radio Iovis ad radium Saturni, prope coniuratorū. Hoc sufficit mense Majo. Diei 12.14 aspectus agnoscē in 13 14 15 Excessus

Iuliani	Gregoriani	LVNÆ cum ♄	♃	♂	☉	♀	☿	Phases Lunæ.	INFERIORVM ☿ cum	♀ cum	☉ cum	SVPERIORVM inter se. Status aeris in Suecia
		Occi.	Occi.	Orié.		Orié.	Occi.					
21	1				△·			Perigæa		♄ ♃		Sudum
22	2	□	·△	✳			·△					Geli Pluit tonuit
23	3								Stat. in	♂ ♃		dum Vdum
24	4					☍·					♂ ☍	partilis so
25	5	△		Occi.				☾ 9. 1				los Æstus
26	6		☍	♂	☍		☍	☊	☿ ☼			Su
27	7											dum Æstus
28	8									♃ ☼		so Humidum
29	9	☍·				△						l Tonu
30	10			✳	·△		△					es it. pluit
1	11		·△			□						
2	12			·□						♄ ✳·		
3	13				□·		·□	☾ I. 12				Æstus
4	14	△·	□	△		·✳	Orié.	Apogæa	☉ ☿·			Tempestas grando
5	15						✳					Nimbus Ven
6	16	□	·✳		✳							Turbidum tus
7	17									♂ ☍·		Æst
8	18											us
9	19	✳·		☍								Su
10	20					☌	·☌	21.22				dum
11	21		·☌		☌·			● Ecli ♍				Pluviola Sol
12	22											Su Pruina
13	23	☌										dum
14	24			△		✳	✳		·☿ ☌		♃ ☌	Se Æst
15	25		Orié.									re us Iris
16	26		✳	□·	✳·				Statio.			num
17	27					□·	□	19.30			♄ ☼	So Nub
18	28	✳·	□	✳·	□·			☽			☌ ☼.	l ilo
19	29					·△	△					es sum
20	30	□·	△·		·△							Turbidum
21	31											Frigid. pluvia. Tonuit

enim fuit. Miror tamen diem 17. Conjicio, etiam hic expirationem fuisse sulphuream. Nisi alibi detonuerit. Mirum etiam & portentosum, quòd in media & constantissima serenitate, die Eclipsis die 21 manè horâ 4 nubila totâ ferè Germaniâ orta, conspectum Eclipsis eripuerunt. Etsi non indiguit natura stimulo ad hoc, mense Majo, concurrit tamen Luna per 5 radios. Die 24 fuit ☌ ☿ ☿ laxa, sufficit igitur æstus & humiditas, Iridis parens. Habet & d. 27. 28 suas causas. Et d. 31. movetur à △ ♄ ☌ seq.

T

Iuliani	Gregoriani	♄ Longi.	♄ La.	♃ Longi.	♃ La.	♂ Longi.	♂ La.	☉ Longitudo.	♀ Longi.	♀ La.	☿ Longi.	☿ La.	☽ Longi.	☽ Lat.	☊ Lō
		♑ Gr. Mi.	MAO	♊ Gr. Mi.	MAO	♏ Gr. Mi.	MDI	♊ Gr. Mi. Se.	♉ Gr. Mi.	MAO	♉ Gr. Mi.	MA 3	♏ Gr. Mi.	MA G. M.	♑ 7
22	1	6.28	28	5.23	36	6.29	1	10.56.12	28.44	46	19.56	56	5.15	2.51	32
23 Angar.	2	6.35	28	5.37	36	6.19	4	11.53.27	29.58	43	20.19	56	19. 6	1.42	29
24	3	6.43	28	5.51	35	6.11	6	12.50.41	♊ 1.11	41	20.46	54	♐ 2.45	0.28	♌ 26
25	4	6.51	28	6. 4	35	6. 3	8	13.47.54	2.25	39	21.20	52	16.10	♌ 0.47	23
26	5	6.59	28	6.18	35	5.55	10	14.45. 7	3.38	36	21.59	49	29.17	1.57	19
3	Lucia. 13	13.39	15	3. 3	16	12.39	15	22. 6.40	5.39	42	2.30	45	7.40	2.24	4
4	E3 Ad. 14	13.46	14	3. 9	16	13.26	15	23. 7.55	6.44	43	2.51	40	22.35	1. 9	1
5	15	13.53	14	3.15	17	14.12	14	24. 9.11	7.50	44	3.19	36	7. 6	0. 9	58
6	16	14. 0	14	3.21	17	14.59	13	25.10.27	8.56	45	3.55	31	21. 9	1.25	55
7	Angar. 17	14. 7	14	3.27	17	15.45	13	26.11.43	10. 2	46	4.38	24	4.43	2.33	51
8	18	14.14	14	3.33	17	16.33	12	27.13. 0	11. 9	47	5.26	17	17.52	3.31	48
9	19	14.21	14	3.38	18	17.19	11	28.14.17	12.16	47	6.19	10	0.37	4.16	45
10	20	14.27	14	3.44	18	18. 5	11	29.15.34	13.23	48	7.16	3	13. 5	4.51	42
11	E4 Ad. 21	14.34	14	3.49	18	18.52	10	0.16.52	14.30	48	8.17	55	25.18	5. 6	39
12	22	14.41	14	3.54	18	19.38	9	1.18.10	15.38	47	9.21	47	7.22	5.11	36
13	23	14.48	14	3.59	19	20.25	9	2.19.29	16.46	47	10.28	39	19.20	5. 1	32
14	24	14.55	14	4. 4	19	21.11	8	3.20.48	17.53	46	11.38	31	1.14	4.39	29
15	Nat. C. 25	15. 2	14	4. 8	19	21.58	7	4.22. 7	19. 1	46	12.50	22	13. 7	4. 5	26
16	Stephāi 26	15.10	13	4.13	19	22.44	6	5.23.26	20. 9	45	14. 4	14	25. 2	3.19	23
17	Io Evāg 27	15.17	13	4.17	20	23.31	6	6.24.45	21.17	44	15.20	5	6.58	2.29	20
18	Innoc. 28	15.24	13	4.21	20	24.17	5	7.26. 4	22.26	44	16.37	57	19. 0	1.28	16
19	29	15.31	13	4.25	20	25. 4	4	8.27.23	23.34	43	17.56	48	1. 9	0.23	13
20	30	15.38	13	4.29	20	25.50	4	9.28.42	24.42	42	19.16	40	13.25	0.44	10
21	31	15.45	13	4.32	21	26.37	3	10.30. 1	25.52	41	20.38	32	25.52	1.51	7

MARS à die 15 in 21 transit stellas in cauda Capric. faciens cū iis triangula varia; Die 27 assequitur Lunē ♒, uno ferè gradu superior. VENVS inter 7 & 8 sub fimbria Virginis, dodrante diametri Lunæ. Die 19 in lineā lancium Libræ; Inter 25. 26 transit inter duas in lance, propior imæ.

LVNA die 5 occultura teget caput Ceti; die 10 stringet Plejada, stans desuper, teget Septentrioni; die 12 teget genu Gemin, Oceano Virginis; d.17, Asellum Australem Cancris; d.24, inter stellas frontis Scorpij, oriens.

Iuliani	Gregoriani	LVNÆ cum ☿	♃	♂	☉	♀	♄	Phases Lunæ.	INFERIORVM ☿ cum	♀ cum	☉ cum	SVPERIORVM inter se
		♄ Occi.	Orié.	Occi.		Orié.	Occi.					
21	1					□	Orié.		☉ ☿			
22	2		△	☌	✳		✳	♌				☽ proxime supra ♂, Sinarum regno.
23	3										♄ ☍	
24	4				△		□					
25	5	✳			□			☽ 2.54			♃ ☌	
26	6											
27	7	□	☍	✳			△					
28	8				△							
29	9	△		□		☍			♃ ✳ ♀ ☍	♄ ☌ ♃ ☍		
30	10						☍					
1	11		△	△				Perigæ 21.42 ☾ ☉.	Stat in ✳ ♃	platic.		
2	12				☍							
3	13	☍	□			△						
4	14						△	♍.	♃ ✳			♂ ♄ ☍
5	15		✳	☍		□						
6	16				△							
7	17	△				✳	□					
8	18							20.58				
9	19		☍		□		✳	☾				Oritur ☽ cū ♃ sinistr
10	20	□		△					Elong.	maxim. ♄ ✳		
11	21				✳							Lunam orientē proxime sequitur ☿ ad sinistram longe. Lunā ortā quærite ☿ ad sinistram inferius.
12	22											
13	23	✳		□		☌						
14	24		✳									
15	25						☌	Apogæa 22.45			♃ □	
16	26			✳								Lunam orituram præcedit ☿ ad sinistram.
17	27	☌	□		☌			●	♄ ☍ ♃ ☌			
18	28					✳						
19	29		△					♌		☍ □		
20	30											
21	31			☌		□	✳					

Saturnus occidit vesperi heliacè, conditus sub Solem præoccidentem.
Iupiter occidit ante mediam noctem d.25 in ipsa m.n.
Mars vesperi clarè conspicitur, occidens 4 hor. post Solem.
Venus 45 horis ante Solem orta, augetur lumine, vt matutinis horis etiam de die conspici possit.
Mercurius posteriori semisse mensis manè emergens, conspiciendum se nobis in Aurorâ dabit.

FINIS.

INCHOATVS HIC TOMVS

LINCII METROPOLI

Archiducatus Auſtriæ Supr-Aniſanæ:

ABSOLVTVS DENIQVE

SAGANI SILESIÆ,

Typis numericis Authoris.

ANNO

M. DC. XXX.

JAKOB BARTSCH OFFENER BRIEF AN JOHANNES KEPLER

Lauban, 1. September 1628

Jakob Bartsch, Ephemeris nova Tychonico-Kepleriana ad annum 1629, Leipzig 1629, Bl. A4v-B2r

A4v

Ad Excellentiß. Mathemat. Caes. Clar. Virum
Dn. JOHANNEM KEPLERUM, etc-
Praeceptoris instar venerandum.

Quod ego saepè doleo, Vir Praeclarißime, Fautor observandè, mirari te saepius suspicor; non tàm quòd ante annum ferè, vicinorum locorum conjunctio, coràm colloquendi occasionem denegabat, quàm quòd per annum jam dißitorum longiùs incognita absentia, literarum etiam colloquium prorsus sustulit. Ut tamen hoc brevi compensatum iri credo, ita illud Ulmae ante triennium mihi obtigisse gaudeo. Quippe tunc temporis Italiae Patavium petituro, in transitu pauca quidem, sed grata tecum loqui concedebatur: ante annum verò reducem me Augusta Vindelicorum, ut nôsti, *Uranographiae Christianae* Schillerianae posthumae perficiendae propositum, Te Ulmae Svevorum vicinae Tychonici *Tabularum Rudolphinarum* operis impreßio tenuit occupatum; donec finitis eodem tempore amborum operis, tuus Francofurtum versus, meus in patriam improvisus abitus, omnem hactenus sive literis, sive coràm de rebus Astronomicis colloquendi occasionem intercepit. Licet enim ex eo tempore, bis Pragam, semel Ulmam, hinc literas ad Te pertinentes misi, aliasque inquirendi paßim occasiones non neglexi: Pragâ tamen alterae absentiae, alterae discesßus tui nunciae redierunt ad manus meas, Ulmâ nihil; nec, ubi locorum degeres, antea rescivi, quàm superioribus diebus, Excellentissimus Lipsensium Prof. Mathematicus, Dn. Licent. Philip. *Müllerus*, Praeceptor meus nunquam satis honorandus, certior hac de re factus me monuit, Uraniae tuae gratias Silesiam nostram posthac inhabitaturas et illustraturas esse. Quâ de re Tibi gratulor, mihi gaudeo, utrique simul optima quaeque apprecatus: Interim, si fortaßis hoc, quicquid est, laboris mei, tuum nomen praeferentis, priùs ad manus venerit, quàm epistolium meum; scias, non tàm praemissum esse, ut de me, meoque statu, quàm ut de hujus mei laboris et instituti ratione tibi constaret.

Quod igitur primò Ephemeridis hujus et supputandae ansam, et edendae causam spectat, ut hoc praemittam, olim (si rectè memini) Ulman inter alia aut scripsi, aut scribere volui, me praeter alia usibus practicis apprimè accommodanda opuscula Astronomica, meditari insuper, jamque tentatis variis adornare, *Planetarum* non Theorias speculabiles, à Peurbachio, Maestlino, aliis, atque Te ipso fusiùs et clariùs explicatas; sed eorundem *Sphaeras* (ut ita dicam) *Practicas*, in quibus (sive Secundorum Mobilium Directoriis, sive Sphaericis Secundorum Motuum Organis, sive *Organicis Planetarum Aequatoriis*, sive convenientiori nomine alio aliquando insignientis) affectiones Planetarum propriae, sive proprii Secundorum Mobilium motus oscilariter demonstrari, et mechanicè licet ruditer, coelo tamen in gradibus convenienter, juxta hypotheses Astronomicas doceri queant: non mimùs ac in vulgaribus Sphaeris Globisve, affectiones siderum communes, ratione primi (quodcunquam illud sit) mobilicis competentes vulgò demonstrari, et oculis etiam illiteratorum exponi possunt. Quemadmo-

dum enim certò expertusque scio, plures etiam primi et quotidiè oculos incurrentis coelorum motûs curam aut neglecturos, aut non intellecturos nisi per Sphaerae armillas aut Globi circulos Sphaericos motumque ocularitèr doceri et ceu manuducere possent: sic contrà plures etiam majori studio contemplaturos credo, secundorum mobilium motus, minùs quidem observabiles, ac certè magis delectabiles, et primi Motoris sapientiam testantes mirabilem, si eodem modo demonstrarentur ὀφθαλμοφανῶς et ad oculum: si (inquam) non per numeros tantùm vel schemata, nullum motûs vel stationem, nisi pluries refingantur, exhibentia; sed per organa etiam sphaerica, (tàm secundùm veteres Ptolomaei et vulgares Eccentricorum, Epicyclorum, Aequantium, etc. quam juxta novas Tychonis Homocentrepicyclorum | aut tuas, quoad ejus fieri potest, *B* causarum Physicarum Hypotheses,) oculis minùs exercitatorum in hac arte subjicerentur Planetarum singulorum tùm motus medii Longitudinis, Apogei vel Aphelii et Eccentrici, horumque lineae ac aequationes, puta Eccentricae, coaequatae seu Epicyclicae, orbisque prosthaphaereses dictae; tùm vera longitudo et latitudo cum nodis; tùm denique mirè apparentes Stationum, Regreßionum, Directionum, motusque modò celerioris, modò tardioris phantasiae, et qui in Systemate motuum Tychonico inprimis admiratione dignus est, Planetarum reliquorum Solem medium, ducis instar aut choragi, certis et conjunctionum et oppositionum terminis, semper centri, loco respicientium ordo constantissimus et pulcherrimus.

Quibus ita praemißis, ad hoc sanè institutum meum, ut suprà laudati *Dn. L. Mülleri* meditationes publicè nuper propositas, tanquam eò collimantes; ita et praeter tuam Astronomiae Copernicanae Epitomen, Tabulas Tychonis Rudolphinas adjumenti multum suppeditare non diffiteor. Licet enim easdem, ut dudum expetitas, ita tunc ex prelo adhuc calentes, et licet praeter meritum meum, non tamen ingrato dono missas Augustam, magno quidem gaudio pellustravi obiter; quòd tamen dignè ad petitum tuum neque pellegere singula, neque ad quaesita respondere potui, utriusque improvisus, ut ab initio attigi, et tuus Francofurtum, meus Lipsiam propter comites ad nundinas discessus, impediit. Ubi postmodùm eas saepiùs laudato Dn. Müllero, nondum visas aut illûc allatas, et proin tanto majore gaudio exceptas, reliqui ad tempus, siquidem primis statim diebus apud Parentes, per octennium non viso, calculum tentari dissidebam, quem tamen pòst etiam, receptis suis anni hujus initium Tabulis, inopinatus, tritisque Parentis unicè dilecti obitus non mediocriter suspendit.

Ante hoc autem semestre, aut quod excurrit, animum cum Tabulis resumens, partim novarum tuarum et physicarum hypothesium percipiendarum, partim novi et Logarithmici calculi exercendi cupidus (neglecto etiam Martis patriam turbantis insano strepitu), cepi labore multo conquirere, et ad certos aliquot hujus currentis, et sequentis 1629. anni mensium dies, juxta Tabularum praecepta, supputare, Planetarum quinque maximè nunc aberrantium: tùm medios motus longitudinis, Aphelii et Nodi; tùm Anomalias medias, Eccentricas et coaequatas; tùm ad cognomines, orbisque annui aequationes, ipsa loca vera in longum et latum: At in Lunâ difficiles calculi prolixioris spinas, duplices nempe hypotheses, easque nonnihil differentes, in variationis praecipuè negotio, cùm viderem, cumque insuper utriusque calculi differentiam, qualis et quanta ubique sit, in aliquot periodorum diebus singulis periclitaret, factum, ut plus quàm dimidius annus, singula seorsim inquirenti, effueret.

Quibus ita peractis, cùm hac de re certiorem faciendi te occasio nulla suppeteret, ignaro in hoc regionum angulo, ubi degeres terrarum: tandem ecce! Vix à bimestri, dum superatis plerisque difficultatibus, magis magisque sub manibus calculus succedit, constituo reliqua ad integrandam Ephemerin adjicere, eamque Bibliopolae alicujus sumtibus edendam dare, ut so citiùs alias nullas, saltem hasce praefatorias publicas ad Te deferrem quamprimùm, quas etiam propterea fusiùs hîc explicare non dubitavi. Quemadmodum verò aliàs ante annum, opellam meam exiguam, promtam, lubens meritoque obtuli: ita nunc certò persuasum habeas, velim, me hujus anni Ephemerin usibus meis privatis primò supputatam ita offerre publicis, ut interim tuas luculentiores et digniores nullatenus vel impeditas, vel turbatas, sed multò magis (quod hoc publico testimonio liquidò confirmo,) pro tenuitate meâ, quantum videlicet è re tuâ, meaque fuerit, adjutas velim: imò magis hanc edi debuisse, ut et tibi de meo qualicunque labore promto, et aliis astrorum peritis de tuo calculo Lunari, et Tychonico nunquam in tuis alteà conjunctim expresso, constaret. Accedunt editionis aliae privatae causae, quas cùm aliquando coràm (siquidem nos Deus incolumes in Silesiâ brevi conjunxerit) expositurus sim meliùs, nunc omitto, et de reliquis reliqua praemoneo.

Primò quod ipsius *calculi rationem* attinet, de eo nonnulla praefanda duxi, ut si aliqua occurrat differentia, rectiùs, unde oriatur, dignosci queat. Aliàs sphalma Typographi nullum, in numeris vel omißis vel transpositis residuum, mea inter excudendum absentia vix admittet; calculi verò errorem nullum ullibi commissum insignem, quemadmodum differentiarum ubique justarum collatio promittit: ita si quis fuerit, eum tùm excusabit meritò numerorum toties ad nauseam ferè, a me solo iteranda scriptio descriptioque, tùm emen-
Bv dabit facilè praecedentium | atque sequentium motuum inspectio collatioque. In Aspectuum tempore si alicubi erratum, (quod faciliùs factum suspicor,) motum eadem illa collatio dextra corriget ac prodet.

In genere autem calculum, ubicunque opus, Logarithmicum, eumque scrupulosum adhibui, juxta Tabularum praecepta: motusque Planetarum non gradibus tantùm et minutis notavi primis, verùm etiam secundis, his tamen non singulis, (praeterquam in Sole) sed senis semper, seu minuti decimis partibus, sex secunda constituentibus: (ad eundem modum, quo per Aßis partes difficulter memorandas Angulum Orientis, sive Altitudinem Nonagesimi in Tabulis describis: Neutrum novitatis, sed utilitatis studio. Licet enim ad secunda semper descendere curiositatis potiùs, quàm necessitatis esse videtur, (siquidem coelo vix minutißima calculi respondent, utinam minuta semper) tamen hoc quoque cùm negligentiam, tùm incertitudinem quandoque arguit et parit, si secunda semper omittantur, praesertim in quibus alia atque alia ex his subindè deducenda sunt, et instar annulorum in catena suspendenda: nam hîc uno, ibi rursum altero dimidio neglecto, tandem unam atque alterum minutum integrum alicubi redundare, alicubi deficere potest, et desiderari, nisi fortuita compensatio fiat. Quapropter mediam quasi viam incedens ego, ad majorem calculi à Te correcti atque restituti certitudinem probandam, et ad exactiorem differentiarum diurnarum subindè crescentium ac decrescentium seriem obtinendam, secunda, licet singula diligenter (quantum ratio Tabularum tertia negligentium permittit) supputata, tamen sena tantùm (seu minuti decimas, 6. secunda valentis,) per ultimum ubique numerum describere malui: ne vel omnimoda se-

cundorum neglectio errorem primorum alicubi pareret, (in motum scilicet diurno, et pendente hinc proportionali parte addendâ vel subtrahendâ, inque Aspectuum tempore potißimùm, horarum minutis determinando;) vel omnimoda et expressa singulorum annotatio, minus necessaria, minùs etiam certa, typos, ob chartae angustiam, arctaret et confunderet. Exemplis illud demonstrari posset, nisi supervacuum videretur.

In specie circa singulos Planetas, Tabularum praecepta unicè observavi: in Lunâ verò, cùm modi aliquot apponantur, quem ego prae reliquis in duplici ejus calculo semper observârim, ut significem, operae pretium videtur. *Locum fictum* seu primò aequatum Anomalia coaequata, ut aliàs, produxit. *Aequationis partem competentem*, Argumenti annui menstruique Log – et Antilog-arithmorum, cum scrupulis secundis ex canone ipso sumtorum mistorumque pars respondens ex Heptacosiade dupla dimidiaque fecit, quae posteà per *Particulam Exsortem* ex propriâ tabellâ fermentata, et per Anomaliae intercolumnium multiplicata, ad angulum reducta fuit, *Variatio* utraque ex Tabellâ propriâ depromta: sicque *Aequatio luminis composita* ex singulis seorsim fictis absoluta, quae duplex, juxta utriusque hypotheses, Lunam in orbitâ suâ *Eccentricam*, posteaque juxta generalem modum reductam, in Eclipticâ *veram* dedit. *Latitudo* etiam simplex, juxta utramque *Nodi prosthaphaeresin* ex propriâ Tabellâ inquisitam, et partem ejus quintam per *augmentat. anguli soluti* multiplicatam, et latitudinem Lunae veram producit.

Quod autem *calculum Lunarem duplicem*, duplici etiam labore, ad singulos dies supputare, supputatum hic insere non subterfugi, causa est; illius quidem, quòd duplex unius hypotheseos fundamentum, puto variationis motus atque Nodi † prosthaphaereseos, Tabulis quoque inseratur: hujus verò, quòd cùm ita duplicem et circa octantes singulos maximè differentem calculum variet variatio, partim exercitii ergò, partim utrique gratiam debitam habendi studio, vel alterum omittere, vel utrumque miscere nefas ducerim: praesertim cùm neutrius planè careat utilitate. Sic enim fortaßè alii, instrumentis idoneis instructi, et minùs tamen ad prolixas supputationes otiosi, etiam sine ulteriori molestiâ vel calculo, alterutrius fidem et cum coelo congruentiam explorare poterunt; ubi certiores hîc facti sunt, quibus diebus maxima inter utrumque calculum sit differentia, tàm in loco ipso longitud. et latitud. ad meridiem posito, quàm motu utriusque diurno. Fit enim, ut saepè differentia sit nulla vel exigua, praecipuè circa quadraturas, oppositiones et conjunctiones: saepè maxima, praecipue circa quadrantes medios seu octantes, ut ex Aspectuum Lunarium temporibus patet: undè coincidens utriusque calculi convenientia, omnem, et observationem, et operationem reliquam ex Tabulis exactè ad observationis tempus institutam frustraretur. [1]

Nodi Lunaris locum triplicem, unius quidem Aequabilis aequalem, reliqui verò *B2* † duplicis veri inaequalem retrocessum, quòd porrò ex Tabulis supputatum asperserim, fecit partim paginae ex istâ parte permittens spatium, partim ut differentia veri Tychonici Tuique ab Aequabilis, necessariò propter Astrologos, ad finem positi, loco pateret, ex diversâ istius prosthaphaeresi oriens: Per verum autem Nodi locum, tecum ex Ephemer. Introduct. pag. 8 intelligo eum, in quo Lunae centrum, spectanti velut ex terrae centro, sub Eclipticam venit, cujus etiam supputationem ibi tanquam minùs necessariam omisisse Te scribis: nec tamen Braheanam libratilem ab Origano ad plures annos suppitatem rejicis.

Calculi insuper totius, hujusque partium praecipuarum *exemplar* ad Ephemeridis initium extare volui, pro primo Anni hujus tàm veteris Juliani, quàm novi Gregoriani meridie, eoque aequali Uraniburgico, ad alia loca data ex Catal. Locorum reducendo. Hunc enim in supputandis motibus tecum observare volui, debui: licet quoad Aspectuum tempus itidem aequale, et Argentinensium Meridiano certas ob causas accommodatum, semper 17. minuta horae addenda veniant.

Aspectus quod attinet, tùm Planetarum inter se et cum Sole, tùm hujus cum Lunâ, non veteres tantùm, sed novos etiam tuos praecipuos adhibere placuit, ut in dependente tempestatum judicio, quid poßint, quid valeant, tuo exemplo et consilio probet judiciosus Meteorologus. Lunares reliquos cum Planetis (exceptâ synoda juxta utrumque calculum) utpotè nimis multos, minùs efficaces omisi, propter folii angustiam, inprimis cùm ex Origano (parvâ intercedente differentiâ) vel ex his etiam non difficulter colligantur.

Quod superest, *Eclipsium* hujus anni trium examen consultò jam omisi: quippe nec nobis apparebit ulla, et singulae juxta Tychonem ab Origano, quantum hîc opus, descriptae. Equidem ut harum, ita reliquorum motuum omnium descriptionem exactiorem Artifici et Magistro Tibi meritò relinquo.

Et haec sunt, quae ad Te, Tychonem alterum, de praesenti meo et statu et instituto, in omnem eventum praefari placuit, pluta brevi (spero) vel literis vel coràm de his et aliis collocuturò. Interim haec aequo et benevolo animo legas, si vacat, studia mea quantulacunque foveas, et ut anteà, ita posthac favere pergas, qui plurimùm et salvere et valere Te jubet.

JAC. BARTSCHIO AUTHORI.

IOANNIS KEPPLERI MATHEMATICI,

AD EPISTOLAM

CLARISSIMI VIRI

D. JACOBI BARTSCHII

Laubani Luſati, Medicinæ Candidati,

Præfixam Ephemeridi in annum 1629,

RESPONSIO:

DE COMPVTATIONE Et Editione Ephemeridum.

TYPIS SAGANENSIBVS.

ANNO M. D C. XXIX.

3

JOANNES KEPPLERVS
JACOBO BARTSCHIO
S. P. D.

Etsi, quibus de rebus me es allocutus Epistolâ publicâ, BARTSCHI mei amantissime, mihique vicissim et virtutibus et communium artium studio acceptissime, de ijs coràm tibi, cùm me nuper invisisses, meam explicavi sententiam: quia tamen et tu scripsisti publicè, et plurium interest rescire, quid inter nos sit actum: publicè etiam ad tua proposita respondebo; primum progressus ab illo proscenio, ubi tu me in exordio literarum tuarum reliquisti, domum properans.

Quod enim tu hactenus te sategisse significas, ubinam locorum essem: idem et alios nonnullos mei studiosos inquirere verisimile est, quibus gratificari humanitatis esse censeo, cavillos obtrectatorum contemnere hilaritatis inculpatae. Francofurtum igitur ad nundinas perveni mense Septembri anni superioris, opus Tabularum Rudolphi afferens visendum publicè et inserendum
4 Catalogo: cui etiam pretium, rogatu meo,| constitutum est à Commissario librorum Caesareo, tres floreni pecuniae praesentis valore Francofurtensi, quos in loco solvant aequâ lege studiosus artis an librarius. Hisce confectis negocijs
† cum Illustrissimo Hassiae Landgravio PHILIPPO excurri Putzbachium, tempusque dedi visendis laudatissimi Principis instrumentis et exercitijs astronomicis: de quibus pro dignitate scribere longum fuerit, nec praesentis instituti. Ne tamen omni spectaculorum jucunditate defraudem lectores, unicum referam, quo ego, ut in speculationibus meis plurimùm confirmatus, ita non minùs impensè fui gavisus. In areâ patente et spaciosâ palus stat defixus altitudine pedum circiter triginta, trochlea in summo, cui funis insertus ergatae circumactu tubum ingentem pedum 50-nta longitudine, quem sex viri robusti tecto suo vix moliuntur, in altum attollit, ut Sol per ejus foramen, pisi aut lentis aut etiam milij magnitudine, demittat radios in oppositam albam tabellam, quae tubi cavitatem imo loco terminat. In hac ergò tabellâ clarè visuntur maculae Solis, formatae à nudo foramine, nullius interventu vitri convexi, testanturque typi excepti in meridiebus compluribus deinceps, lineam motûs macularum in solstitijs rectam esse ad lineam meridianam, in aequinoctijs inclinem angulo complementi obliquitatis Eclipticae, in opposito aequinoctio plagae etiam contrariae: sic ut haec linea motûs in planum Eclipticae semper incidat. Itaque si macula haeret in superficie Solis: sequitur, ut etiam hanc, ut ipsum inquam globum Solis secundùm Eclipticam incedere, hoc est, circa ejus axem et polos tornari colligamus. Hanc circumstantiam adde caeteris, quas Epit. Ast. Lib. IV.
† p. 514. num. 4. coacervavi, et num quis restet scrupulus dispice, quo minùs thema ipsum, SOLEM ESSE FONTEM MOTVS PLANETARVM, pro
† certissimo acceptemus. Quòd igitur Lib. VII. pag. 914 polos Eclipticae mediae, quam appello Viam Regiam, feci eosdem cum polis rotationis corporis solaris: id non porrò dixeris suâ carere ostensione sensuali. |

5 Hanc igitur habe tibi BARTSCHI digressionem, quâ penses aestimesque moram meam Puzbachianam; tempus est ut inde discedam. Non possum tamen hoc sine celebratione munificentiae Principis verè magnanimi, ut quâ ille et

temporum conditionem et meum inprimis pudorem longissimè superavit. Quodque ad consilia referendum est translati mei domicilij, author fuit idem celsissimus princeps PHILIPPVS suo ex Fratre Nepoti GEORGIO, rerum † potienti Darmstadij, ut, quia Linciano Typographio per tumultus rusticanos incendio deleto, et profligato Typographo, alium ego Braheanis Observationibus edendis locum idoneum, praelisque et typis instructum, seorsim ab inquietudine aulae Imperatoris ambulatoriae dispiciebam, Princeps ille et locum commorandi, et si me ibi, ob longinquam absentiam, pensiones Imperiales aulicae morarentur, subsidia idonea liberalissimè polliceretur. Nihil igitur aliud restare videbatur, nisi ut consensum Imperatoris Domini mei, primum atque in Aulam venturus essem, precibus impetrarem.

Haec animo volvens consilia Puzbachio discessi Francofurtum, indeque lento per Rheni tractum perque Wirtembergiam itinere Vlmam reversus, confectis quae affecta ibi reliqueram negocijs, mense Novembri Ratisponam ad familiam, Decembri Pragam veni, Tabularum exemplaria Imperatori FERDINANDO II. cui dedicaveram, exhibui. Nec mora, secuta eôdem me fuit fama de exercitibus Caesareis in hiberna per Sueviam et Hassiam deductis. Quae fama, cùm ipsa per se propositum meum de loco editionis graviter perculisset, ex adverso Imperatoris tot Victorijs clarissimi aula splendidissima fautores cultoresque mearum artium exhibuit expectatione meâ plures: quorum commendationibus provectus, et Caesari opus dedicatum foelicissimo successu approbavi, dignusque judicatus fui, qui de Majestatis Suae munificentiâ ditior redderer: et Exercituum Caesareorum, quos suspectabam, Praefecti Generalissimi Illustrissimi | Ducis Fridlandiae et Sagani ALBERTI gratiam consecutus sum; qui 6 cùm sit et Heros fortissimus, et juxta scientiarum Mathematicarum admirator eximius, eaque conjunctione velut alter Hercules, idemque Imperatori addictissimus, ad primam mentionem hac me necessitate commorandi extra provincias Caesaris haereditarias, eaque super re Caesarem interpellandi facilè exsolvit, locum quietum Sagani clementissimè concessit, annuum subsidium reliquae magnificentiae suae consentaneum nuncupavit, praelum etiam promisit, Caesareanis omnibus mirificè approbantibus. Igitur semisse anni paulo minùs in aulâ Imperatoris transacto, Majo mense Ratisponam ad familiam traducendam sum reversus, Junio Lincium ad patronos antiquiores, Austriae Supr-Anisanae Ordines. Atque hi et ipsi transitionem hanc meam Saganum collaudarunt, et exemplaria libri, quem subsidijs illorum multos per annos usus perfeceram, honorario, quantum à provincia afflictissimâ nequaquam sperabam, compensarunt. Dispositis itaque rebus meis in illâ provincia, Julio mense Pragam, ibique receptâ quam eò praemiseram familiâ denique Saganum, quod Deus benè vertat, VII. Cal. Augusti perveni.

Quod igitur tu mihi de hoc adventu meo in Silesiam gratularis, omen accipio. Melodia quippe haec inchoata jam est, gratulaberis equidem multò magis, hanc ubi sine perturbatione victor terminavero: quod faxit coelestis harmoniae contemperator, spirituum largitor, Deus Opt. Maximus.

Est vicissim cur ego mihi gratuler ipsi, quòd in Silesiam potissimùm venerim, ut cujus à multo tempore propria quodammodò fama fuit, quòd in eâ sit doctorum virorum frequentia non contemnenda. Quo ex grege cùm primus tu prodeas, qui te mihi publicâ in Epistolâ coràm sistis: eja salve doctorum

Silesitarum coryphaee! (nam in Lusatia tuâ exaudiri feruntur balatûs gregum Silesiacorum) honoremque hunc, et primum in amicitia mea locum jure praeventionis obtineto. |

7 Sed tempus est, ut quid petitum veneris! pensitemus. Organa te ais meditari; quibus incitatis verae motuum et causae et formae repraesententur oculis. Eam ob causam te conjecisse ais in laborem molestissimum, computatâ unius anni Ephemeride; scilicet ut ex Tabulis Rudolphinis penitissimam motuum coelestium formam et pervideres et familiarem tibi redderes. Laudabile factum ex instituto nobili! quorum isthoc quidem tuae est aetatis, tuae industriae, tui et ocij: illud verò propiùs ad me pertinet, Ephemeridas typis publicis exscribi, computatas ex Tabulis Rudolphi, à me proximo anno luci datis.

Hanc igitur in praesens occupo materiam tecum disserendi, quantùm è republica literariâ fore existimavero. Nam etsi tu quidem primus in hoc stadio compares: sunt tamen et alij, qui in eôdem vel jam currunt vel stant accincti: quos partim ipse ante triennium, partim in proximo meo itinere Francofurdico, aut paulò pòst invitavi; alij, quos nunquàm anteà noveram, jam proximorum annorum Ephemeridas absolvisse, adque praelum paratas habere nunciantur. Nec dubium, esse et alios, de quibus ne fama quidem ad me pervenit, Italos, Gallos, Britannos; qui receptis, quae summo studio quaesiverunt, exemplaribus, eundem nobilem laborem capessiverint, eoque publicis usibus exposito famam aucupentur. Gratulor vobis, quotquot estis, quascunque per oras, quòd studio Mathematices, quae sola mentis assensum certitudine fulcit incredibili, ingenium eôusque subegeritis, ut labori spectabili, quem ante haec tempora ingeniosissimus quisque maximè fugere solitus est, pares vos inveniretis. Gratulor Rebuspublicis, gratulor Nationibus Christiani orbis omnibus de proventu talium virorum, et de spe non vanâ, fore brevi, ut frigescentibus studijs frivolis, incertis, contentiosis, addo et perniciosis, publica doctorum industria in coelestes potiùs speculationes, quae sitim ingeniorum sedant, mores, prout indoles
8 fuerit, similitudine quadam Operum divinorum imbuunt, incum|bat adeoque ex ijs plurima etiam vitae tolerandae commoda procudat et suppeditet. Gratulor mihi quoque de successu foelici editionis meae: quae et excitavit hominum studia, et sicubi vel manca censeri possit, vel naevos etiam nonnullos traxit, seu hallucinationum authoris, seu sphalmatum typographicorum, quae properatio, ut fieri amat, operarumve importunitas suppeditavit: de ijs per eosdem, qui Ephemeridas nihilominùs integras ex opere computare potuerunt, caeteris minùs exercitatis facilè excusatur, comprobato, quòd ex fundamentis Tabularum originem illi non traxerint; sed extrinsecùs allapsi, facilè ab homine mediocris attentionis, quod à vobis est factum, redarguantur.

Quo nomine gratias tibi, BARTSCHI, caeterisque, si qui tibi paria praestiterunt, permagnas debeo, quòd obtrectatorum hîc meorum prava studia praevertistis, et cavillorum, quae expecto, spiculis reddidistis me impenetrabilem. Equidem vel jam nunc ex inspectione Catalogi librorum autumnalium fulgetra nonnulla videor observare eminùs coruscantia: quae imbrem mihi polliceri videntur ex Austro, nimbumque transmarinum ex Occidente. Scribit de tribus novis stellis CLARAMONTIVS Caesennâs librum jam à quinquennio minacem meis operibus: scribit contra Fr. MARINVM MERSENNAJVM Gallum

Blitz, Wetterleuchten

41) me *fehlt*

ROBERTVS DE FLVCTIBVS Britannus: quorum cùm ille in hunc, crinibus † quidem meis arreptis, involaverit prior ante triennium, vix erit, ut non hic quoque defensionem paret meo cum damno, et *σκυβάλοις* meis pro jaculis usus, ut qui me sibi privatum dudum legit adversarium. Verùm illis per me licet agant, quod agunt, strenuè: ipse ad utilitatem lectoris mei me comparans, quae necessaria monitu videbuntur de Tabularum numeris, praeceptis, exemplis, SPORTULAE meae Astrologicae subjungam: cui ob id ipsum formam destino folij, ut inter Praecepta et Tabulas, etiamsi liber jam sit ligatus, interseri ab illo possit, qui seorsim pro eâ (ut et pro MAPPA Orbis, quae nunc Norimbergae sumptibus meis exsculpitur) solverit librario. |

Ad vos revertor, viri docti, laborum socij, adque vestras Ephemeridas. 9 Meruistis enim et mei studio, et industriâ publicâ: ut quâ possum vestris vicissim commodis consulam. Etsi enim liber Tabularum in publicum exijt, licetque eo uti pro arbitratu cujusque, licet sui tyrocinij specimen vicissim proponere publicè: vereor tamen, si emptores aucupamini, ne non tantùm ipsi vos invicem laedatis, sed etiam à me ipso, qui minimè hoc affecto, damno afficiamini singuli. Meminisse potestis, initium à me factum esse Ephemeridum, editis quatuor in annos 1617. 18. 19. 20. Typos ad hanc editionem idoneos aere meo comparavi, eosdem mecum Saganum attuli. Etsi verò, temporum difficultatibus impeditus, ab editione sequentium Ephemeridum destiti: computatas tamen habeo in scrinijs annorum plerorumque intermediorum, quasdam etiam locavi computandas, quas, si sunt absolutae, qui operam sibi perire nolunt, primo quôque tempore ad me transmittent. Jam enim in eo res est, ut praeIo Saganum allato, Tomus primus Ephemeridum ab anno 1617. usque quò ultra annum 1631. operae progredi poterunt, at nundinas Francofurtenses autumnales anni 1629. extrudatur; Tomus alter proximo anno sequatur. Quam ad editionem uti tu, BARTSCHI amicissime, tuam mihi operam et dudum literis Augustâ Vlmam missis, et nunc in Epistola publicâ obtulisti: ità et receptam eam à me nuperrimo nostro congressu libenter contestor publicè.

Nam quòd tuam hanc editionem Ephemeridis in annum 29. attinet: locum ipse voluisti relictum editioni meae in eundem annum. Ego verò etsi et computatam ejus partem tibi coràm ostendi; et quae desunt mihi adhuc supplere possem, si de fide tui calculi ambigerem; tuam tamen ipsius jam editam repeti malo, sicut inter nos convenit. Paucula de meo accedent, quae tu ipse mihi reservata significas; aut quorum, ut correctiunculâ opus haberent, ipse ego, seu potiùs profectiones nostrae culpam sustinent. Cùm enim sis usus exemplari Vlma à me transmissio, caruit | illud hactenus Indice, ut quem, expectatione 10 delusus Emblematis praeliminaris, Francofurti demum adjeci operi; atqui in illo moneo lectorem de sphalmate typographico in Aphelio Saturni ad annum 1600. 40 †

Neque est ut quisque existimet, te operam lusisse in editione tuâ privatâ, si nunc ea repetatur in communi. Satis tu contrà in Epistolâ, quae et repetere, et pluribus explicare placet, ut de consensu nostro constet omnibus. Nimirùm edidisti tu illam usibus tuis, addo et meis, et omnium circa artem curiosorum; repetemus nunc eandem pro usibus publicis magis popularibus. Nam quod te attinet, demonstrasi tuam in illâ diligetiam, tuam dexteritatem, tuam artis

2) eirt *statt* erit 3) σκιβάλοις

cognitionem penitissimam; liberasti animum à scrupulis, qui te vexassent super novitate calculi, superque varijs modis computandi; demeruisti tibi, quod opto et spero, patronos privatos. Mihi verò caeterisque curiosis non potest haec editionis tuae forma non esse gratissima: ut quae methodorum diversarum aequipollentiam, quam verbis profiteor, reipsâ et longâ inductione integri anni comprobat; quae consensum in Luna cum calculo TYCHONIS ostendit sanè quàm propinquum, cùm ille tamen computaret ex circulis, ego ex causis physicis; quae differentiam, quantula ea superest passim, penè omnem in Variationis Tychonicae modum penes me diversum conjicit, denique quae fidem facit, modos computandi novos per Logarithmos nullam ne minutissimam quidem respuere subtilitatem etiam ad secunda usque progredientium.

Haec tamen unius anni Ephemeride comprobari satis fuit: in libro plurium Ephemeridum modum imponi curiositati expedit. Extat jam forma Ephemeridum à me introducta, imò potiori parte ex antiquo retenta: in eâ, praeterquam in Sole, à concisione scrupuli primi temperatur; motus nodi Lunae retinetur aequabilis; Aspectuum tempora quadrantibus diei, non concisiùs, signantur; planetae omnes in aversis paginarum faciebus, aspectûs | è regione exhibentur; Variatio non unius quidem modi adhibita per omnes 4 annos: at non ideò geminati loci Lunae. Id multò minùs nunc erit necesse, postquam diligenti discussione causarum physicarum per leges geometricas ad ipsissimum TYCHONIS modum redire sum coactus: cui primo inventori etiam quantitas, etsi ea potest ambigi, jure interim relinquenda. Sed neque aspectuum numerus augendus, praeterquam Quinqunce; Decilis, Tridecilis, Sequadrus et Sesquadrus in penu continendi, ut ligaturae typorum infrequentes; Vigintilis planè omittendus. Video sanè, qui te vicissim vellicent scrupuli, praesertim circa Nodi Lunae locum verum, ubi causam agis astrologiae ante tribunal Physices. Spero tamen, ijs me tam Astronomos quàm Astrologos liberaturum in praefationibus Ephemeridum.

Hac igitur communi omnium formâ etiam tua haec anni 1629. est recudenda, ut cum caeteris conjungi possit, opusque sit emptoribus usu commodum, utque Monarchae Domino, qui Ephemeridum usu gaudet, earumque continuationem urget, omni vi ingenij comprobetur.

Hoc institutum, haec pacta nostra caeteris, qui hanc meam responsionem sunt lecturi, significare placuit: ut (quanquam de Patroni novi, Illustrissimi Ducis Fridlandiae et Sagani constantiâ in patrocinio seriò suscepto, sumptibusque ad editionem necessarijs nobis licet esse securis) quia tamen et homines sumus uterque, et periculosis aestuat motibus hoc mare Reipublicae nec cuiquam statio fida carinae, eoque de propositae editionis eventu foelici sponsorem habemus neminem: statuat igitur secum quisque, quantum sibi laboris in omnem eventum sumere, quaque spe niti velit.

Tu verò, BARTSCHI charissime, quod foelix faustumque sit, laborem hunc decumanum ingenti animo, securus futuri, mecum socio capesse, Saturnumque tuum excubitorem ante fores colloca, qui omne taedium arceat. Furente namque procellâ, naufragiumque minante publicum, potius nihil habemus, quàm ut anchoram nostram, studiorum innocuorum, demittamus in fundum aeternitatis. Vale. Dabam Sagani Silesiae, Typis proprijs; postridie Nonas Novembris anno M.DC.XXVIII.

JOANNIS KEPLERI

Mathematici Cæſarei, &c.

De raris mirisq;

Anni 1631. Phænomenis,

Veneris putà & Mercurii in Solem incurſu,

ADMONITIO AD ASTRONOMOS, RERUMQVE COELESTIUM STUDIOSOS:

Excerpta

Ex EPHEMERIDE Anni 1631. & certo AUTHORIS conſilio huic præmiſſa, & edita

à

M. JACOBO BARTSCHIO, Laubano, Mathem. & Med. C.

LIPSIÆ,

JOAN-ALBERTUS MINZELIUS excudebat.

ANNO M DC XXIX.

A$_v$

EXCELL.^{mo} LIPSENSIUM MATHEMATICO, VIRO PRAECLARISS.^{mo} DN. PHILIPPO MULLERO MED. LIC. ET P. P. DN. FAUTORI ET PRAECEPTORI OLIM, NUNC HOSPITI HONORATISS.^{o}

Salutem et Incolumitatem omnimodam

Cum in itinere jam meo, Vir Fautorque aeternùm honorande, et hinc nuper digredientem, et nunc iterum transientem me, Lipsiae morari noverca cogeret occasio, aequior altera tecum vivere, deque jucundis rebus Astronomicis disserere, ac in commune bonum consulere voluit. Factum enim inde nosti, ut non tantùm de Cl. Dn. KEPLERI, quem communem Magistrum Parentis loco merito veneror, proposito studiisque praesentibus, et mei Francofurtum et Argentinam denuo spectantis itineris caussâ ferè triplici, coràm fusius colloqui otium suppeteret: sed vel maximè novus, idemque correctior Tabularum Rudolphi Astronomicarum calculus Logarithmicus, exindeque jam natus Vicennalium Ephemeridum nostrarum Tomus primus, dum prelum jam exspectat et ferè non urget, cum nundinis utrisque exspectantibus praeludium earum aliquod certum exigere videretur.

Quamobrem ut, Lipsiae dum moror, moram hanc quodammodo compensaturus Astrophilo Keplerianarum rerum avido interim satisfaciam, tuo etiam suasu, nec Authoris dissensu, de re coelesti novâ, mirâ, longè dissitos praemoneam: ex Ephemeridum nostrarum corpore particulam non contemnendam decerpere, hanque typis publicis descriptam Tibi, ut Astronomorum praecipuo, ita splendore tuo polum Academicum maximè illustranti, sacram facere, debitam offerre non dubitavi. Qui enim primus in Academiâ mihi ante hoc novennium fuisti Artis Doctor, primaque primo meo Astronomico, Planisphaerii stellati ante quinquennium Argentinae editi, libro fundamenta suppeditasti, qui etiam primus mihi in patriam ante biennium reduci Ductor iterum ad Dn. KEPLERI Musas, primum de felici et ominoso in vicinas patriae oras aditu nuncium grato fato ante annum significasti: primus etiam meritò nunc appares (ut alias, quae privatim movent, causas reticeam) cui post Ephemerin hujus anni meam, tuis etiam auspiciis hîc editam, primum hocce meum-non-meum scriptum, et arctioris cum ipso saepius laudato Dn. KEPLERO necessitudinis votum publicè acceptum referam.

En igitur, Vir praeclarissime, non ingratam grati Discipuli, publicam grati animi, grati denique Hospitis symbolam chartaceam, quâ (siquidem recusas aliam) non modò Tibi meum, sed Astronomis quoque Dn. KEPLERI nomen interim exsolvo: eandem boni jam consule, mihique et studiis meis, quod abundè facis, favere non desiste. Scribebam in aedibus tuis Lipsiae 1629. 5. 15. Octobris.

Excell. T. Clariss. officiosè colens
J. Bartsch. Ph. M. et C. P.

JOANNIS KEPLERI MATHEMAT. CAES. ADMONITIO

A2

Ad curiosos rerum coelestium: Excerpta ex Ephemeride Anni 1631.

Quod libro meo, Astronomiae Partis Opticae Cap. VIII. p. 305. negavi hoc † saeculo fieri posse, ut stella Veneris particulam Solis tegat: id hoc anno 1631. d. 6. Decembris Gregoriani futurum prodit calculus. Etsi verò parvi fortè momenti res est ad prognosin: ego tamen, qui unicam Astronomicae cognitionis amplificationem in conquirendis hujusmodi apparitionibus habeo propositam, non possum non summis votis expetere serenitatem, et caeteras circumstantias ad observationem rei idoneas: non hoc propterea praecipuè, quia rarissimè contingunt hujusmodi incursus Veneris in Solem, nec ante revolu- † tionem 235. annorum, in eodem loco; nec pluribus quam duobus totius circuitûs locis, scilicet apud Nodum utrumque: sic ut inde ab anno 1526. 23. Maji factum sit nunquam (corrigendus hic quoque stylus Opticorum, qui intra annos 200. fieri potuisse negabat), nec iterum fieri possit usque in annum Incarnationis 1761. diem 25. Maji Juliani: sed propter hanc causam, quia si contigerit, recteque fuerit observata ab iis, qui victuri sunt, de maximis rebus in arte docere poterit universos, quas sine hac observatione vix unquam in lucem proferent Astronomi. Planetarum igniculos quotidie intuemur, diametros globulorum apparentes dimetiri per instrumenta idonea docent omnes artifices, inde à PTOLEMAEO et HIPPARCHO; nec hîc concessit veteribus quicquam TYCHO BRAHEVS arte et industriâ. [1]

A2v

At quantum abfuerint à certitudine dimensionis universi, docuit nos nuperum illud ineuntis saeculi inventum, Tubus inquam Belgicus, perspicillis duobus, cavo et convexo, instructus, à GALILAEO Florentino Astronomiam edoctus: qui diametros Planetarum, detersâ luminis superfluitate, multis partibus exhibet minores, comparatione institutâ ad visibilia caetera, quae tubus ipse quidem ampliat universa. Postquam hujus tubi beneficio exactiùs determinari caeperunt diametri siderum, caepi animum adjicere ad indagandam globorum Planetariorum inter se mutuò proportionem. Neque tamen, quod quaerebam, viâ demonstrationis conficere aliter poteram, nisi principia nonnulla probabilia, sed tamen indemonstrata adsciscerem, quae vide Epit. Astr. Copern. lib. 4. p. 484. 485. Ex hac verò methodo, quae ponit pro fundamento, amplitudinem corporum Planetariorum esse in proportione intervallorum à Sole, natum est in Tabb. Rudolphi, Praeceptum 110. p. 75, ut monetur Lector in † fine praecepti. Atqui non planè liquidas res habemus. Nam Martii corporis diametrum oportebat ad 6. usque minuta excrescere, cùm Terris proximus fit in Aquario. Tubus verò adhibitus tantam ejus diametrum Anno 1623. in Capricorno visus est repudiare, comparatione factâ diametrorum ♂ et ♀. Itaque et ipse in Hyperaspiste TYCHONIS consultandum mihi amplius cum GA- † LILAEO significavi, et ille ipse JOHAN. REMVS QUIETANVS, in cujus sententiam dictae Epitomes p. 485. transiveram, nunc deficit ab illa; et retentâ interim particulâ aliquâ probabilitatis usurpatae, quae si minùs corpora intervallis proportionalia, saltem diametros omnium sex inter se aequales facit, de reliquo Martem in situ etiam acronycho tantum à Terris dimovet, ut apparen-

tiam non majorem faciat eâ, de quâ testatur tubus. Atque his ille principiis efficit, ut cùm ego vetus intervallum Solis et Terrae dudum triplicassem, jam meum hoc vicissim etiam quadruplicandum, atque ita vetus Ptolemaicum duodecuplicandum sit. Cùm autem quantitas aedificii mundani per hanc principiorum variationem, cumque tubi testimoniis connexionem tota in dubium vocetur, ego respiciendum ad assumta censeo, videndumque | etiam atque etiam, *A3* ne fortè aliud quippiam de his rebus verum, pulchrum, bonumque sit, aliud probabile nobis sit visum. Quid si namque aequalitas illa, quam nos ut solam pulchram, vel in proportione spacii globosi ad intervalla, vel in Diametris ipsis requirebamus, si haec (inquam) vel sola pulchra habenda non sit, vel in materiâ potiùs globorum, inque eorum veluti pondere insit, Diametrum verò Martis contrahat densitas globi major, ut verè illa dimetiens globi Martialis minor sit, quàm globi Terrae, eaque ratione apparentiam faciat tubi testimoniis consonam. Sic enim globus glacialis ex aquâ, aequeponderans globo aureo, octodecuplum ferè spacium explet spacii, quod occupat aureus, diametris in proportione eâ versantibus, quae est inter numeros 21. et 8. circiter.

Sin autem ex argumentis aliis, à tempore cujusque Planetae periodico de- † ductis, Epitomes Astron. Lib. 4. p. 486. 487. tantum accessit roboris hisce speciosis fundamentis, ut difficulter in animis Philosophantium ea convelli possint: ex adverso jam dudum ex GALILAEO percontaturus eram, si copia mihi facta esset ejus alloquendi: num etiam ex omni parte prospectum sit tractationi tubi, ut nullum nobis hîc spectrum opticum illudere possit? De Marte quidem memini queri solitum inter initia GALILAEVM, orbem ejus indeterminatum et retusum quasi, nec ad meram aciem expolitum, repraesentari. An ex eo profecerit observando, haud scio. Mihi quidem rotundus satis visus est apparere. De Venere verò, cùm est sub Sole, plus laborat observationum fides: hujus enim facies circa maximarum elongationum terminos in semicirculum, inferius in cornu attenuatur. Vt nihil jam dicam de aestimatione spatii de hemisphaerio, quod tubus occupat uno intuitu; nihil de comparatione ejus ad Planetae diametrum, nihil de applicatione et reductione oculi, de obliquâ inspectione, de titubatione. In utram igitur partem propendeant suspiciones nostrae, omnino plurimùm ad eas vel roborandas vel discutiendas faceret observatio ista: si nobis contingeret Veneris globum, ipsi disco Solis immersum, applicatione tubi super papyro depingere, ejusque diametri proportionem ad Solis diametrum ipsis oculis aesti|mandam sistere. Nam quia crescit lumine *A3v* Venus, decrescitque ut Luna, certum est, opacum corpus esse, eoque radios Solis, quâ parte subtercurrit, impedire, speciemque maculae rotundae exhibere: † cujus diameter, ut est in exemplo praecepti 110. suprà allegati, continere debet scrupula 7′. 6″. paulò minùs, quàm partem quartam de diametro Solis, siquidem tam vera sint assumta illa nostra, quàm nobis visa sunt probabilia.

Etsi vero calculus indicat conjunctionis articulum medium Hor. 9. mi. 41. postquàm Sol penes nos jam 6. horas sub Horizonte transegit, eoque appari- † tionem hanc adjudicat Americae: at quis in hoc situ Veneris calculi fidem ad dimidii gradus exilitatem praestabit, qui 6. vel 7. scrup. errore in longitudine eccentricâ ab Aequinoctio confici potest.

Satis hoc est caussae, ut adhorter omnes et singulos, non naucleros tantùm, qui Oceanum navigabunt, doctosve viros, qui Americam, qui Mexicanam et vicinas provincias habitant, sed Europaeos quoque Professores Mathematicos

in Academiis constitutos, Magnates etiam, quibus otium ad haec spectaculorum coelestium oblectamenta suppetit, denique universos, quibus coelestia curae sunt, ut vel ab hoc jam tempore Tubum sibi quisque comparet, qui maculas Solis detegere sit aptus, ejus tractationi manuariae adsuescat, notam habeat diductionis ejus vitrorum prolixitatem, quae maculas rectissimè in conspectum efferat. Est enim illa paulò auctior, quàm quae visui ad transpiciendum serviat: estque signum correctissimae dispositionis, quae in quoque instrumento potest esse, si macularum margines altrinsecus iridis coloribus tingi incipiant, quod ultrà citraque est, à perfectione recedit.

At neque tuus hîc, Illustrissime Princeps et Domine Dn. PHILIPPE LANDGRAVI HASSIAE, Tubus simplex, et vitrorum expers, scio, feriabitur, cujus est ea instructionis ratio, ut dimetientem hujus maculae rotundae in tabellâ suâ albâ expeditissimè circino etiam comprehendendam exhibere possit: cui si denique accenseatur diameter foraminis, per quod introgressus fuerit Solis radius, correctissima ea erit, et distortionis illius immunis, quam efficit in tubo visorio vitrum cavum inferius. |

Servient et Clericis templa sua, si quos ordo ille habet artis studiosos. Vidi *A4* enim anno 1613. Ratisponae in templo cathedrali, monstravique adstantibus notis macularum Solis vestigia in omnibus radiis rotundis, per fenestrarum rimas ex alto delapsis. Vt nihil de ruinosâ illâ intusque vacuâ et spaciosâ domo dicam, in quâ Pragae anno 1607. radium Solis insigni maculâ tinctum cùm deprehendissem, Mercurium in Sole visum libello et carminibus publicè editis, sed falso, proclamavi: ut in Prolegomenis harum Ephemeridum postea sum † confessus. Multis enim diebus aberat conjunctio Solis et Mercurii, calculo teste. Macula itaque Solis illa fuit, utique quia, ut habet observatio, nec rotunda exactè fuit, nec aequaliter ex omni parte umbrosa.

Quacunque harum commoditatum quisque fuerit instructus, illud unicè sibi proponat agendum, ubicunque Terrarum fuerit, ut continuo biduo, quod erit 6. et 7. Decembris styli Gregoriani, ad hos Solis radios per vitra Tubi aut per simplex foramen illapsos, identidem respiciat, quaeque observaverit cum Mathematicis aliis, si quos fortè nubes impediverint, mecumque adeo ipso, si vixero, communicet.

Nec sola est haec Veneris sub Solem ingressio; quin, quod mireris, triginta, non plus, diebus antè, etiam Mercurium in Sole exhibet calculus, die nimirum 7. Novembris Gregoriani, pridie Eclipsis Lunae maximae, et quidem horâ paulò plus unâ post meridiem eoque Europae conspiciendum. Igitur et hoc triduum dierum 6. 7. 8. Novembris complectetur observatorum diligentia. Etsi enim hic Mercurii sub Solem ingressus frequentiores habet occasiones, tamen et majus aliquid quàm in Venere de fide calculi longitudinis in dubio ponendum est: quia nos deficiunt observationes idoneae, Planetâ utplurimum latente sub Sole. Itaque calculi defectum circa copulas omnes suppleat industria observandi singulas, quae observari possunt.

Parallaxis diurna, si qua futura est, solaris quadrupla erit in Venere, in Mercurio sescupla circiter. Atque ea utrobique adjuvat et prolongat suum phaenomenon. Cùm enim septentrionalem Solis oram perstringat uterque Planeta, parallaxis eos in austrum promovens, centro Solis propiùs admovebit.

Haec ex Ephem. KEPLERI.

A4v

LECTORI BENEVOLO
S. P. D. JAC. BARTSCH. PHILOMATH.

Habes hîc, Astrorum Spectator, Coelorum Metator studiose, utilem et jucundam Cl. Dn. KEPLERI Admonitionem de raro Veneris et Mercurii phaenomeno, annum 1631. conjunctim nobilitante, tuamque industriam excitante: quam consensu ipsius, in itinere nunc meo Ephemeridum Vicennalium prodromi loco, tecum publici Astronomici boni causâ interim communico. Eidem, ob hujus paginae aliàs vacantis spatium, et ad majorem calculi nostri fidem, non tantùm ex Ephemeride suâ binorum Planetarum motus ad aliquot dies vicinos, sed et ipsum calculum ex Tabulis Rudolphinis Tychonico-Keplerianum, quem ad medium conjunctionis utriusque tempus Uraniburgicum hîc inquisivi, adjungere volui, debui. Quo interim primi Ephemeridum Tomi pignore, prelum nunc urgente, benevolus utere, fruere, nostrisque conatibus fave ac vale.

